6
3–D
99

1.f.2.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
1 I
32

6 - 3 - D - 99

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTOPHORI CELLARII BREVIARIUM ANTIQUITATUM ROMANARUM

ACCURANTE

HIERONYMO FREYERO

PÆD. REG. GLAUCH. INSP.

ROMA

AUGUSTÆ TAURINORUM.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.
MDCCXLII.
SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

INGENUIS, ET STUDIOSIS ADOLESCENTIBUS.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

RERUM Romanarum Studioſis rem pergratam facturi viſi ſumus, ſi quæ apud Populum omnium facile principem olim obtinuerunt, Leges, Magiſtratus, Sacra, atque Inſtituta in artibus cum belli, tum pacis, a magno in primis, & doctiſſimo Viro CELLARIO paucis digeſta, opera noſtra nunc primum hìc in lucem, atque adſpectum proferrentur. Quantum commodis veſtris hoc conſilio inſervierimus,

vos

vos videritis; quum hoc duce veluti facem præferente, & melioris notæ Hiſtoricos, & Poëtas perſequemini, qui harum rerum imperitis tenebræ ſunt. Neque vobis modo, qui ejus gentis rebus in ſcholis initiamini; verum etiam, ſi qui in ſecretiora penetrarint, conſultum arbitramur, quibus per nos erit, ubi otium ſuum collocent. Vix enim ad hanc diem, aut nos fallimur, in Italia præſertim extiterunt ejuſmodi Opuſcula, quæ uſus tereret publicus. Si quis porro ad Romanos Scriptores intelligendos ampliores ſibi copias voluerit comparare, Roſinum, Pitiſcum, alioſque, qui de hac re fuſius conſcripſerunt, verſabit, quum per otium licuerit. Valete.

BENE-

BENEVOLO LECTORI

S. D.

HIERONYMUS FREYERI.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

QUinquennium nunc eſt, LECTOR BENEVOLE, quum CHRISTOPHORI CELLARII ANTIQUITATES ROMANÆ luci publicæ exponerentur. Utiliſſimum omnino inſtitutum hoc erat, & magnæ exſpectationis apud omnes, qui celeberrimi quondam, & in his rebus verſatiſſimi VIRI doctrinam, & merita noverant. Sed neſcio quo fato, aut cujus tandem errore acciderit, ut ſchedæ mutilæ, neque ad uſum publicum ſatis diſpoſitæ prelo ſubjectæ ſint. Rem

ita ſeſe habere, nullum poteſt intelligentibus dubium eſſe, & poſtumum hoc Opuſculum cum reliquis accuratiſſimi VIRI ſcriptis conferentibus. Nam ut de iis nunc nihil dicam, quæ contra mentem, ac manum Auctoris perperam excuſa ſunt, diligentiamque legentium nimis ſæpe, ac nimis etiam valde turbant: deſideratur una, atque altera tractatio rerum maxime neceſſariarum, quarum notitia ne tirones quidem carere ſine damno poſſunt, modo incipientes relicta nobis antiquiorum temporum monumenta evolvere. Talis eſt illa præcipue, quæ de SACRIS ROMANORUM exponit, & quam ne verbo quidem attingit libellus impreſſus: ut facile intelligas, aut intercidiſſe quaſdam ex VIRI clariſſimi ſchedis; aut vix primas lineas eſſe ductas Opuſculi, quod ſolum Breviarii nomen tueri debeat. Neque tamen interea fructu ſuo apud juventutem caruit opera primæ harum commentationum editioni impenſa: ſed potius

ſali-

ſalivam multis docentium æque ac diſcentium ita movit, ut crederent, a nullo accommodatius potuiſſe Antiquitatum Romanarum compendium, quam hoc ingenio ſcholis dari; ſi quidem id ipſi exornare etiam per fata licuiſſet, quod tam ſcite, ac feliciter deſignare cœperat. Sed & hic ferenda fuerunt, quæ mutare non potuimus. Interim ut jactura illa, quam hoc modo fecerunt traditi in noſtram diſciplinam juvenes, ſi non ex toto, quod promittere temerarium foret; tamen ex parte quadam, & pro virili reſtitueretur: libellum integrum cum cura pertractavi; quæ ſumme neceſſaria deeſſe videbantur, cum ex publicis Doctoris hujus prælectionibus, quibus olim auditor ipſe interfueram, tum aliunde ſupplevi; adſerta teſtimoniis undique conquiſitis comprobavi; ac tandem res omnes eo ordine, atque ita digeſſi, ac diſtribui, ut ſuo quæque loco, & facile adeo poſſint inveniri. Atque ſic novo quaſi habitu ſiſtitur hic

ſcholis noſtris ſcriptum hoc utiliſſimum: & ita quidem ſiſtitur, ut, quod ante VIR CLARISSIMUS, & nomini CELLARIANO addictiſſimus, JOANNES GEORGIUS WALCHIUS, in Præfatione diſſertationum Polyhiſtoris noſtri recte dubitaverat, breviarii alicujus appellationem, ac partes ſuſtinere nunc tandem poſſe videatur. Qui autem inſumendus labor fuit: hunc me debuiſſe non tantum ſcholaſticæ juventutis commodo; ſed beati etiam VIRI ac de me, dum viveret, haud vulgariter meriti, manibus atque exiſtimationi arbitratus ſum. Bene igitur interpretare, MI LECTOR, qualemcunque hanc Operam meam: &, quod DEUS indulgentiſſimus diu velit, bene etiam vale. Halæ Magdeburgicæ in Pædagogio Regio idibus Auguſti anni Chriſtiani CIƆIƆCCXV.

CON-

CONSPECTUS GENERALIS BREVIARII ANTIQUITATUM ROMANARUM.

CAPUT I. DE SACRIS ROMANORUM agit, ejuſque

Sectio I. de Diis pag. 1.

Sectio II. de Collegiis ſacris, & quidem

1. *De Collegio Pontificum* 5.
2. *De Auguribus* 6.
3. *De Decemviris, & Quindecimviris ſacrorum* 7.
4. *De Flaminibus* 8.
5. *De Septemviris Epulonum* 9.
6. *De Saliis* 10.
7. *De Lupercis* 10.
8. *De Arvalibus Fratribus* 11.
9. *De Ferialibus* 12.
10. *De Rege Sacrificulo* 12.
11. *De Virginibus Veſtalibus* 13.

Sectio III. de diebus Feſtis, ſive Feriis, & quidem

1. *De Lectiſternio* 15.
2. *De Novemdiali Sacro* 16.

3. *De*

3. *De Supplicationibus* 16.
4. *De Ludis placando Numini factis* 17.
5. *De Faunalibus* 17.
6. *De Lupercalibus* 18.
7. *De Terminalibus* 18.
8. *De Liberalibus* 18.
9. *De Quinquatribus* 19.
10. *De Lavatione matris deum* 19.
11. *De Cerealibus* 20.
12. *De Parilibus* 20.
13. *De Floralibus* 20.
14. *De Bonæ Deæ Sacro* 21.
15. *De Conſualibus* 21.
16. *De Vulcanalibus* 21.
17. *De Saturnalibus* 22.
18. *De Calendis* 22.
19. *De Feriis Latinis* 23.
20. *De Vere Sacro* 24.
21. *De Ludis ſæcularibus* 25.
Sectio IV. de ritibus, ac cæremoniis ſacris, & quidem
1. *De albis, & nigris Victimis* 26.
2. *De Litatione* 26.
3. *De Coronis in ſacrificiis* 27.
4. *De vittatis ſacrificantibus, & victimis* 27.
5. *De Ara Cæſpiticia* 27.
6. *De Victima fugiente* 28.
7. *De ritu verrendi fana crinibus* 28.
8. *De Inferiarum ritibus* 28.

CAPUT

CAPUT II. DE MAGISTRATIBUS ROMANORUM, ejuſque
Sectio I. de Magiſtratibus antiquis, & quidem
1. *De Regibus* 30.
2. *De Conſulibus* 32.
3. *De Decemviris* 33.
4. *De Tribunis militum Conſulari poteſtate* 34.
5. *De Prætoribus* 34.
6. *De Ædilibus* 36.
7. *De Quæſtoribus* 37.
8. *De Cenſoribus* 38.
9. *De Tribunis plebis* 40.
10. *De Tribunis ærariis* 41.
11. *De Triumviris capitalibus, & monetalibus* 41.
12. *De Interrege* 42.
13. *De Dictatore, & Magiſtro equitum* 43.
Sectio II. de Magiſtratibus novis ſub Cæſaribus, & quidem
1. *De Præfecto urbis* 44.
2. *De Præfecto Prætorii.* 45.
3. *De Præfecto ærarii* 46.
4. *De Præfecto ærarii militaris* 47.
5. *De Quæſtore Principis, ſive Cæſaris* 47.
6. *De Curatoribus Viarum, & Alvei Tiberini* 48.
7. *De Præfectis Claſſis utriuſque* 48.
8. *De Legato Cæſaris, ſeu Principis* 49.
9. *De Procuratoribus Cæſaris* 50.

Sectio III. de Magiſtratibus ævi poſterioris 51.
CAPUT III. DE MILITIA ROMANA, ejuſque
Sectio I. de Ducibus 54.
Sectio II. de Legionibus 56.
Sectio III. de Armis 58.
Sectio IV. de Signis militaribus 60.
Sectio V. de Machinis poliorceticis 61.
Sectio VI. de Militia navali 63.
Sectio VII. de Præmiis militiæ 65.
CAPUT IV. DE CIVITATE ROMANA, ejuſque
Sectio I. de Jure civium Romanorum 68.
Sectio II. de Jure Quiritium, Latii, & Italico 71.
Sectio III. de Jure Municipiorum, & Coloniarum, & Præfecturarum 73.
Sectio IV. de communicatione Civitatis in Provinciis 75.
CAPUT V. DE PROVINCIIS ROMANORUM, ejuſque
Sectio I. de appellatione Provinciarum 77.
Sectio II. de adminiſtratione provinciarum 78.
Sectio III. de diviſione provinciarum 79.
CAPUT VI. DE JUDICIIS ROMANORUM, ejuſque
Sectio I. Judicibus 84.
Sectio II. de loco Judiciorum 86.
Sectio III. de Accuſatore, & Reo 87.

Sectio IV. de Legibus 89.
CAPUT VII. DE ORDINIBUS ROMANORUM, ejuſque
Sectio I. de Ordine Senatorio 97.
Sectio II. de Ordine Equeſtri 102.
Sectio III. de Ordine Plebejo 103.
CAPUT VIII. DE COMITIIS ROMANORUM, ejuſque
Sectio I. de diſtributione populi comitia habentis 107.
Sectio II. de variis comitiorum generibus 110.
Sectio III. de loco comititiorum 111.
CAPUT IX. DE STATU HOMINUM DIVERSO APUD ROMANOS, ejuſque
Sectio I. de ſtatu liberorum 113.
Sectio II. de ſtatu ſervorum 115.
CAPUT X. DE STUDIIS ROMANORUM, ejuſque
Sectio I. de ratione, & ordine ſtudiorum apud ipſos Romanos 119.
Sectio II. de ſtudiis provinciarum 123.
CAPUT XI. DE LUDIS ROMANORUM, ejuſque
Sectio I. de Ludorum diviſione generali 125.
Sectio II. de Ludis Romanis, ſeu Circenſibus 126.
Sectio III. de Ludis ſcenicis 127.
Sectio IV. de Ludis gladiatoriis 129.
Sectio V. de Venationibus 132.

Sectio

Sectio VI. de Naumachia 133.
CAPUT XII. DE VESTITU ROMANORUM, ejuſque
Sectio I. de Veſtibus virorum 134.
Sectio II. de Veſtibus mulierum 138.
CAPUT XIII. DE FUNERIBUS ROMANORUM, ejuſque
Sectio I. de Exſequiis 139.
Sectio II. de Combuſtione 140.
Sect.o III. de Sepultura 141.
Sectio IV. de Ritibus quibuſdam poſt ſepulturam 142.
Sectio V. de Conſecratione Principum 143.
CAPUT XIV. DE RE NUMMARIA, ET INSCRIPTIONIBUS ROMANORUM, ejuſque
Sectio I. de Nummis, & quidem
1. *de variis nummorum generibus* 146.
2. *de cognitionis nummariæ uſu* 152.
3. *de rei nummariæ ſcriptoribus* 153.
Sectio II. de Inſcriptionibus 157.
APPENDIX PRIOR DE ASSE ROMANORUM 159.
APPENDIX POSTERIOR DE NOMINIBUS ROMANORUM 166.

ANTI-

ANTIQUITATUM ROMANARUM

CAPUT I.

DE SACRIS ROMANORUM, *EJUSQUE*

SECTIO I.

DE DIIS.

§. 1.

OMnes gentilium dii, ſaltem plurimi, fama meritorum in cœlum fuerunt opinione hominum ſublati. Cic. *tuſc. l.* 1, *c.* 12., & 13. Dividebantur autem a Romanis in *majorum*, ac *minorum gentium* deos: quam diſtinctionem ipſe Cicero a patricio Romanorum ordine ad cœlum applicat.

Digitized by Google

§. 2. Majorum gentium dii, qui & magni vocantur, diſtinguebantur in *conſentes*, & *ſelectos*: ut Auguſt. *de c. d. l.* iv. *c.* 23. expoſuit. *Conſentes* dicuntur fuiſſe, quos Juppiter ad concilium adhibuerit: numeranturque xii; Juppiter, Juno, Minerva, Veſta, Ceres, Mars, Vulcanus, Neptunus, Diana, Apollo, Mercurius, Venus. *Selecti* erant viii: Janus, Saturnus, Genius, Sol, Orcus, Liber, Tellus, Luna.

§. 3. Minorum gentium dii erant, quos dixere *indigetes*: fueruntque homines, propter beneficiorum memoriam pro diis culti a poſteris, ut Hercules, Deus fidius, Caſtor, Pollux, Aeſculapius, Quirinus, ſeu Romulus, Priapus, Vertumnus; & virtutum, ac potentiarum nomina, fortunæ, ſalutis, honoris, pietatis, libertatis, concordiæ, mentis, pudicitiæ, fidei, victoriæ, juventutis, utpote quibus templa, & aras exſtruxerunt.

§. 4. In minorum deorum cenſu erant etiam *dii ruſtici*, & *plebeji*: quorum præcipuus Pan, ſive Silvanus, aut, ſi diſtincti fuerunt, cognati tamen & ejuſdem muneris; item Pales, dea paſtorum; Flora, Pomona, &, qui ſupra in indigetibus memoratus eſt, Priapus, porcorum cuſtos; Robigus, & Epona; quibus adminiſtri jungebantur Fauni, Satyri, Sileni. Quo pertinent etiam nymphæ varii generis; montium, ſilvarum, agrorum: quæ ſingulari nomine Drya-

des

des, Hamadryades, Najades, aliiſque vocabulis appellantur. In plebejis diis erant etiam *domeſtici*: Lares, Penates, Forculus, Cardia, ceteri; item Cloacina, & alia monſtroſa nomina. *Nuptiarum*, præter majores, Junonem, & Venerem, Hymenæus proprius erat. Fuit etiam Terminus, quem *ruſticis diis*, vel *regionum* adnumeres.

§. 5. Præterea aliæ claſſes deorum erant minorum, quibus tamen major aliquis, vel plures ex iis præſidebant. Tales fuere *dii marini*, & *aquatiles*: quorum præſides Neptunus, Oceanus, Tethys; quibus ſuberant tanquam miniſtri Tritones, aut Triton, ac Nereus, ac Nereides nymphæ; dii fluminum, ac fontium, ut Tiberinus pater erat; etiam nymphæ lacuum, ut Egeria.

§. 6. Hujus quoque generis *dii inferi* ſunt: quorum præſes Pluto, ſive Orcus eſt, qui & Jovis ſtygii nomen, & Ditis patris habet, uxoremque Proſerpinam, Cereris filiam. Pertinent huc generatim omnes dii manes: quorum miniſter erat Charon portitor; miniſtræ Furiæ, ſeu Eumenides, ſive Diræ, quæ nominantur Alecto, Megæra, Tiſiphone. Huc Parcæ pertinent, Noctis filiæ, Clotho, Lacheſis, Atropos, quia circa funera verſantur; licet alii ſuperis eas adnumerent; item inferorum judices, Minos, Aeacus, Rhadamanthus.

§. 7. *Dii averrunci* colebantur, ut malum

averterent, nec nocérent: quales fuere ipſe Averruncus, Faſcinus [unde *præfiſcine dixerim*] Febris, Pallor, Pavor, Robigus, & ſimiles.

§. 8. Præter hos etiam fuere *dii peregrini*, ex barbaris gentibus Romam adducti: ut Iſis, Serapis, ſive Oſiris, Cybele, ſive magna mater, Mithra, & alii.

§. 9. *Literarum dii*, atque artium erant Apollo, Minerva, ſive Pallas, & Muſæ, ſeu Camenæ cum ſedibus ſuis, fluminibus, fontibus, aliiſque attributionibus.

§. 10. Atque ita quidem creditum a vulgo paganorum fuit: ſapientiores autem ethnici phyſicam ſub fabulis interpretationem quærebant. Nec iis tantum contenti erant, quas in planetarum nominibus etiam nunc expoſitiones retinemus; aut etiam in aliis aſtris non errantibus, ut Herculis: ſed ſubtiliori etiam interpretationi intenti fuerunt, ut ad elementa quoque decurrerent: quamvis incerti ſemper, & inſtabiles, ut ſolet in falſis rebus, & erroribus. Ejuſmodi interpretationes pene multas habet Macrobius: cui adjungi poteſt antiquiſſimus Chriſtianorum ſcriptor Tertullianus *adverſus Marcionem l.* 1. *c.* 13.

SE-

BIBL. NAZ. ROMA

SECTIO II.
DE
COLLEGIIS SACRIS.

I. DE COLLEGIO PONTIFICUM.

§. 1.

Pontifices erant, penes quos cura religionis, ac cæremoniarum fuit. Rex Numa inſtituit, creatis Pontificibus patricii generis quatuor; his additi quatuor plebeji, ut octo eſſent: unde illi majores, hi minores Pontifices dicti ſunt. Liv. *l.* IV. *c.* 4. *l.* X. *c.* 6., *&* 9. *l.* XXII. *c.* 57., & Cic. *de haruſp. reſp. c.* 6. Sulla auxit numerum ad quindecim uſque: quibus tandem decimum ſextum Julius Cæſar adjecit. Liv. *epit.* LXXXIX., & Dio Caſſ. *l.* XLII. *p.* 209.

§. 2. Et Pontifices, & augures dicebantur ſacerdotes: erantque ita in collegiis ſacris, ut & ſenatores ſimul poſſent eſſe; ſummiſque honoribus conſulatus, præturæ, ac ſimilibus præfecti.

§. 3. Pontificum collegio, & omnibus aliis collegiis ſacris ſumma auctoritate præerat Pontifex maximus. Liv. *l.* 1. *c.* 20.. Et quanquam in privatis tantum, non in magiſtratibus cenſebatur; quod Cicero *cat.* 1. *c.* 1. docet: tanta tamen auctoritas, tantumque momentum

in Pontificatu maximo erat poſitum, ut imperatores Auguſti inde ab ipſo Octaviano Auguſto ſemper hoc munus una cum titulo ſibi reſervaverint; nec poſtea alius apud Romanos uſque in Chriſtianorum tempora Pontifex maximus factus ſit, qui non idem eſſet Imperator, Cæſar, & Auguſtus. *Zoſ. l.* IV. *c.* 36. *n.* 4. *ſeqq.*

II. DE AUGURIBUS.

§. 1. Augures dignitate non impares erant Pontificibus, adeoque auguratus munus clariſſimum. Differentiam inter Pontificatum, & auguratum Cicero *de haruſp. reſp. c.* 9., *& de nat. deorum l.* 1. *c.* 44. in eo collocat, quod ſtatæ, ſolenneſque cæremoniæ Pontificatu contineantur: rerum bene gerendarum auctoritates augurio. Ergo munus eorum erat auſpicia, & auguria, hoc eſt, initia omnium rerum ſolemnium, & publicarum procurare: præſertim in comitiis, atque aliis rebus magnis agendis. De cœlo igitur diligentiſſime ſervabant Augures: &, ſi quid ſiniſtrum obſervaſſent, obnuntiabant; atque ita, quod in eorum poteſtate erat, comitia dirimebant. Vid. Cic. *phil.* II. *c.* 33., *& pro domo c.* 15.

§. 2. Auguratus ſacerdotium perſæpe a ſummis viris, & conſularibus ambiebatur: unde dignitas ejus clareſcit. Sic Cicero, Appius Pulcher, & Plinius Junior Augures fuerunt om-

nes,

nes; iidemque conſulares. Cic. *l.* III. *ep.* 10. *n.* 29. Plin. *l.* IV. *ep.* 8. *n.* 1., *&* 4.

§. 3. Initio quatuor tantum erant, a Numa Pompilio conſtituti. Liv. *l.* IV. *c.* 4., *& l.* X. *c.* 6. Poſtea additi ſunt quinque plebeji. Liv. *l.* X. *c.* 6., *&* 9. Sulla auxit, ut eſſent quindecim: quibus unum denuo ſuperaddidit Julius Cæſar. Liv. *epit.* LXXXIX., & Dio Caſſ. *l.* XLII. *p.* 209.

III. DE DECEMVIRIS, ET QUINDECIMVIRIS SACRORUM.

§. 1. Horum munus erat, libros ſibyllinos adire, & interpretari juſſu ſenatus: deinde etiam alia ſacra procurare. Liv. *l.* X. *c.* 8. Sibyllinorum librorum hiſtoriam ad Cic. *catil.* III. *c.* 4. expoſuimus: ubi Cicero fata ſibyllina vocat, quæ conſulebantur ab Romanis, quoties in magno quodam periculo conſilia explicari non poterant. A Tarquinii Superbi ætate cuſtodiebantur hujuſmodi libri in capitolio uſque ad bellum marſicum, quo una cum incenſo capitolio ipſi quoque conflagrarunt. Qui vero poſtea libri ſibyllini erant, collecti fuerant hinc inde in Italia, & provinciis ex variis fragmentis vaticiniorum, quæ Sibyllarum nomen præferebant. Tac. *annal. l.* VI. *c.* 12., & Svetom. *in Aug. c.* 31.

§. 2. Ipſe Tarquinius primum duumviros, *ἄνδρας ἐπιφανεῖς δύο*, conſtituit ad libros illos cuſtodiendos. Dion. Hal. *l.* IV. *p.* 259. Poſtea

decem viris id negotium commiſerunt: & tandem quindecim. Liv. *l.* VII. *c.* 27. *l.* XXII. *c.* 9. *l.* XXXVI. *c.* 37. Tac. *annal. l.* VI. *c.* 42., *& l.* XI. *c.* 11. Quum adhuc decemviri eſſent: erant quinque patricii, quinque plebeji, quod Liv. *l.* VI. *c.* 42. obſervavit.

§. 3. Chriſtiani Scriptores ſæpe etiam provocant ad ſibyllina oracula, ut chriſtianam inde firmitatem adverſus paganos comprobent: uti videmus apud Lact. *l.* I. *c.* 6. *l.* II. *c.* 11., *&* 12. *l.* IV. *c.* 6. Verum credibile haud eſt, illos verſus eſſe veterum Sibyllarum: quum ſæpe multo clarius de Deo, & Chriſto loquantur, quam vel ipſi prophetæ veteris teſtamenti. Probabilius ergo eſt a pio homine, ſed chriſtiano, in recenti Eccleſia compoſitos illos verſiculos eſſe, aut, ſi veteres Sibyllarum verſus, interpolatos: ut eo facilius paganis hominibus, qui maximi hæc oracula faciebant, perſuaderent: id, quod inter innumeras ſchedas, hinc inde in diverſis regionibus, atque provinciis diſperſas, non facile obſervari, & dignoſci potuit.

IV. DE FLAMINIBUS.

§. 1. Flamines dicuntur quaſi filamines a filis, quæ in ornatu ipſorum ex galero dependebant: ut Feſtus Pompejus interpretatur.

§. 2. Flamines igitur ſacerdotes erant, & majoris quidem dignitatis. Numa Pompilius tres creavit: flaminem dialem, qui omnium maxi-

mus

mus erat, ut Jovi ſacra faceret; & duos alios, Marti unum, alterum Quirino. Vide Liv. *l.* I. *c.* 20. *Flamen dialis* Jovis adſiduus ſacerdos erat: nec poterat ab urbe abnoctare, ut Livius *l.* V. *c.* 52. tradit; neque exercitum videre, quod Gellius addit *l.* X. *c.* 15.

§. 3. Poſtea ſupra tres illos a Numa conſtitutos creati fuerunt & alii flamines, ſed minores: qualis fuit *flamen carmentalis* apud Cic. *de cl. orat. c.* 14.; & plures in provinciis, ut paſſim in inſcriptionibus apparet. Maxime autem divorum, ſeu Cæſarum in deorum numerum relatorum flamines conſtituebantur; qui a divis ſuis, quos colebant, cognomen quoque adepti ſunt: ut flamines auguſtales, flaviales, trajanales; etiam alio caſu flamen Claudii, flamen Adriani, paſſim in inſcriptionibus.

V. DE SEPTEMVIRIS EPULONUM.

§. 1. Non antiquiſſimum hoc collegium fuit: ſed, poſtquam multiplicarentur ſacrificia, & cæremoniæ, poſt Annibalis bellum demum triumviri epulones facti, adjunctique pontificibus ſunt, ut epulas ſacrificiorum curarent. Liv. *l.* XXXIII. *c.* 42. Cic. *de orat. l.* III. *c.* 19.

§. 2. Poſtea auctus eſt numerus, & ſeptemviri facti, haud dubie a Sulla: qui numerus etiam Ciceronis tempore, & belli civilis erat. Lucan. *l.* I. *v.* 602. Cæſar quidem, ut apud Dionem *l.* XLIII. *p.* 240. eſt, dicitur tres ſeptem-

tem-

temviros addidiſſe: verum non videtur id probatum, aut in uſum introductum fuiſſe; quum in inſcriptione antiqua Auguſto Cæſari divi filio dicata apud Gruterum *p.* 227. legatur COLLEG. VIIVIR. EPULON.

VI. DE SALIIS.

§. 1. Salios, Martis ſacerdotes Numa inſtituit duodecim; iiſque tunicæ pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum pectori tegumen, cœleſtiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre; ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis, ſolemnique ſaltatu juſſit. Liv. *l.* 1. *c.* 20. Rex Tullus Hoſtilius alios duodecim addidit: ut eſt apud Dion. Hal. *l.* II. *p.* 129. 130. & *l.* III. *p.* 173.

§. 2. A ſaltatu illo Salii dicti ſunt. Conf. Hor. *l.* 1. *od.* 36. *v.* 12. *l.* IV. *od.* *v.* 12. Virg. *Aen.* *l.* VIII. *v.* 285. Peractis autem ſacris, & ſaltatione opiparis epulis excipiebantur· unde proverbium, *ſaliares epulæ*. Vid. Svet. in Claudio *c.* XXXIII., & Hor. *l.* 1. *od.* 37. *v.* 2.

VII. DE LUPERCIS.

§. 1. Luperci erant Panis ſacerdotes ex antiqua Arcadum inſtitutione: unde ritus per Evandrum in Italiam translatus. Nudi autem juvenes lyceum Pana venerantes per luxum, atque

atque laſciviam currebant. Liv. *l.* 1. *c.* 5.

§. 2. Ineptum igitur, & ſpurcum ſacrum fuit: nihilominus magni factum a Romanis, ut ſummi viri etiam hoc ſacerdotium ambirent, quemadmodum M. Antonium conſulem Cicero *phil.* 11. *c.* 34. refert inter lupercos lupercalibus ludis & ipſum lupercum cucurriſſe.

§. 3. Locus in urbe Roma turpiſſimis his ſacris dicatus *lupercal* dicebatur. Virg. *Aen. l.* VIII. *v.* 343.

VIII. DE ARVALIBVS FRATRIBUS.

§. 1. Romuli inſtitutum erat, ſumtum ex numero filiorum nutricis Accæ Larentiæ. Hæc enim ex duodecim filiis maribus unum morte amiſerat; in cuius locum Romulus illi ſeſe filium dedit, ſeque, & ceteros ejus filios fratres arvales appellavit. Ex eo tempore collegium manſit fratrum arvalium: cujus ſacerdotii inſigne eſt ſpicea corona, & albæ infulæ. Gell. *l.* VI. *c.* 7., & Plin. *l.* XVIII. *c.* 2.

§. 2. Dicti autem fratres arvales ſunt, quia ſacra publice faciebant propterea, ut fruges arva ferrent. Varro *de l. l. l.* IV. *c.* 15. Ipſæ hoſtiæ vocabantur ambarvales: ut Feſtus docet. Ex inſcriptionibus autem conſtat, nobiliſſimos viros in hoc collegio fuiſſe.

IX. DE FETIALIBUS.

Fetiales a fide dictos Varro exiſtimat, nam fidei publicæ inter populos præerant. Per hos enim fiebat, ut juſtum conciperetur bellum, &, ut fœdere fides pacis conſtitueretur. Ex his mittebant etiam ante, quam conciperetur, qui res repeterent. Non enim putabant Romani veteres juſtum bellum eſſe, quod per fetialem non prius hoſtibus indictum fuiſſet. Quibus autem verbis in repetendo, aut indicendo uſus fuerit fetialis, deſcripſit Gellius *l.* XVI. *c.* 4., & Livius *l.* I. *c.* 24. & 32.

X. DE REGE SACRIFICULO.

Sacrificia quædam regum Romanorum fuerant propria, quæ ab alio, quam rege non poterant celebrari. Regibus igitur exactis, ne illa ſacra ceſſarent, conſtitutus eſt quidam rex ſacrorum: qui magna quidem dignitate erat, omni autem alio magiſtratu debebat abſtinere. Pontifici autem hoc ſacerdotium ſubjecere: ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tum prima erat cura, officeret. Liv. *l.* II. *c.* 2. Vocatur etiam rex ſacrificus apud Liv. *l.* XL. *c.*42. & rex ſacrorum apud Cic. *pro domo c.* 14., & *de haruſp. reſp. c.* 6.

XI.

XI. DE VIRGINIBUS VESTALIBUS.

§. 1. Virgines veſtales erant ſacerdotes Veſtæ, per quam tellurem intelligebant. Antiqua religio & ante Romam conditam Albanis uſitata, quod ex Liv. *l.* 1. *c.* 4., & Eutrop. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 1. conſtat: reges autem Romani in certiorem formam, atque locum eam redegerunt. Numa inſtituit quatuor hujuſmodi virgines, & templum dedicavit; Tarquinius Priſcus (ſecundum Plutarchum rex Servius) duas addidit: qui numerus poſtea conſtanter ſic ſervatus fuit, ut non plures, quam ſex eſſent ſacræ hujus ordinis virgines. Dion. Hal. *l.* 1. *p.* 62. *l.* 11. *p.* 114. 125. *ſeq.*

§. 2. Eligebantur a pontifice maximo, quod ſingulari verbo *capere* dicebant. Non autem major, quam decem annorum: nec minor, quam ſex annorum, capiebatur. Gell. *l.* 1. *c.* 12. Triginta annis deæ ſervire debebant: decem, ut diſcentes; decem, ut colentes; decem, ut docentes. Tunc peractis triginta annis in ſacerdotio abire a ſacris licebat, etiam nubere. Dion. Hal. *d. l.*

§. 3. Lex illis perpetuæ virginitatis impoſita erat ſub defoſſionis pœna. Liv. *l.* VIII. *c.* 15. l. XXII. *c.* 57. Plin. *l.* . IV. *ep.* 11. *n.* 7. Munus autem earum, ignem in foco Veſtæ perpetuum conſervare, ne expiraret: unde exſtinctionis

culpa

culpa flagris luebatur. Liv. *l.* XXVIII. *c.* 11.

§. 4. Simulacrum in templo nullum fuit præter palladium, Troja, ut credebatur allatum, quod Herodianus *l.* I. *c.* 14. *n.* 7. dixit; vel cœlo delapſum, ut Cicero *phil.* XI. *c.* 10. quod tantæ ſanctitatis apud ipſos fuit, ut nec ulli adſpicere illud licuerit, præter veſtales. Herodian. *l.* V. *c.* 6. *n.* 6.

§. 5. Jura, privilegia, & honores veſtalium erant eximii; nec earum aliqua in publicum prodibat, niſi lictore præeunte, & populum ſubmovente: quemadmodum ipſæ etiam ortu, & ſanguine erant nobiliſſimæ, clariſſimorum parentum filiæ. Quæ ſenior inter illas erat, vocabatur maxima veſtalis: uti eſt apud Svet. *Domit.* *c.* 8., & Plin. *l.* IV. *ep.* 11. *n.* 6.

§. 6. Duravit hic Veſtæ cultus uſque ad chriſtianos Imperatores: & Theodoſius demum omnem abrogavit, ut teſtis eſt Zoſimus *l.* V. *c.* 38. *n.* 4. & 6.

SE-

SECTIO III.

DE DIEBUS FESTIS, SIVE FERIIS.

FEſti dies Romanis non unius erant generis; ſed quidam generales, & quovis tempore poterant inſtitui, variiſque numinibus dedicari, prout res, & ſtatus reipublicæ exigebat, ut lectiſternium, novemdiale ſacrum, ſupplicationes, ludi placando numini facti, & ſimiles; alii ſtati, & ad certum tempus, menſem, vel diem alligati, certisquæ dedicati numinibus, ex quorum numero ſunt Faunalia, Lupercalia, Terminalia, Cerealia, Liberalia, Quinquatrus, Lavatio matris deum, Parilia, Floralia, Bonæ deæ ſacrum, Conſualia, Vulcanalia, Saturnalia, Calendæ, Feriæ latinæ, Ver ſacrum, Ludi ſæculares.

I. DE LECTISTERNIO.

Tanta ſuperſtitio erat paganorum, ut crederent placari deos epulis, & lectiſterniis poſſe, quibus ipſi dii quaſi ad convivium invitarentur. Originem deſcribit Livius *l.* v. *c.* 13. cui adde *l.* VII. *c.* 2. *l.* XXI. *c.* 62. *l.* XXII. *c.* 1., & Tac. *annal. l.* XV. *c.* 44. *n.* 2.

II.

II. DE NOVEMDIALI SACRO.

A numero dierum hæ feriæ nominatæ ſunt: quæ tum potiſſimum edicebantur, quum lapidibus pluiſſe nunciatum eſſet. Vide Liv. *l.* 1. *c.* 31. *l.* xxi. *c.* 62. *l.* xxv. *c.* 7. *l.* xxix. *c.* 14.

III. DE SUPPLICATIONIBUS.

§. 1. Duplicis generis erant ſupplicationes: *triſtes* pro avertendis malis prodigiis, quas nos Bustage appellamus; & *lætæ*; quibus pro victoria, aut republica conſervata gratiæ diis per unum, aut plures dies agebantur, &, ſi ſolenniores eſſent, ad omnia pulvinaria, hoc eſt, in omnibus templis, quorum pars erant pulvinaria, deorum ſimulacra imponebantur, apud nos Danktfeste.

§. 2. De priori genere Livius legatur *l.* x. *c.* 23. *l.* xxv. *c.* 7., *&* *l.* xli. *c.* 9. Lætarum autem, quæ victoris nomine decernebantur, exempla frequentiora ſunt. Vide eundem Livium *l.* v. *c.* 23. *l.* viii. *c.* 33. Cic. *catil.* iii. *c.* 6. Cælium *ad Ciceronem l.* viii. *ep.* 11., & Catonem *ad eundem l.* xv. *ep.* 5. *n.* 3. 4., & de maximo dierum numero pro ſæculi luxurie Cæſarem *de b. g. l.* ii. *c.* 35. *n.* 4., ubi per xv. dies; & *l.* iv *c.* 38. *n.* 4., ubi ad xx. dies ſupplicatio decreta legitur.

IV.

IV. DE LUDIS PLACANDO NUMINI FACTIS.

Colendum eſſe Deum, & inſtanti periculo placandum, cognoverunt ethnici: modum autem divini cultus adeo ignoraverunt, ut ludis ſcenicis, aliiſque ſimilibus ludicris placari Deum, & ad mitiorem de hominibus ſententiam perduci poſſe crediderint. Cenſorin. *c.* 21. Ejus abſurdæ rei exempla habemus apud Liv. *l.* VII. *c.* 2.: & Cic. *catil.* III. *c.* 8. Quæ hoc loco tantum allegaſſe ſufficiat: quum de ipſis ludis, & variis eorumdem generibus infra pluribus expoſituri ſimus. Nunc a generalibus feriis ad ſpeciales progrediendum eſt, & agendum

V. DE FAUNALIBUS.

§. 1. Inter ruſtica feſta referenda hæc ſunt, idibus Februarii quotannis celebranda. Ovid. *faſt. l.* II. *v.* 193.

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni
Hic, ubi diſcretas inſula rumpit aquas:

id eſt, in inſula tiberina, ſeu ſacra, ubi ſacellum, & ara Fauni fuit.

§. 2. Alia Fauni ſolennitas erat menſe Decembri, de qua Horatius *l.* III. *od.* 18. *v.* 20.

Quum tibi novæ redeunt decembres,
Feſtus in pratis vacat otioſo.
Cum bove pagus.

VI. DE LUPERCALIBUS.

Lupercalia Pani ſacra erant xv. Cal. Martii. Ritum eorum ſupra jam deſcripſimus in lupercis, Panis ſacerdotibus, *ſect.* II. *n.* VII. *p.* 10. Lege, præter Livium ibi citatum, etiam Plutarchum *in Romulo p.* 31.: & Ovid. *faſt. l.* II. *v.* 267.

VII. DE TERMINALIBUS.

Terminum etiam pro Deo colebant Romani; in cujus tutela eſſent termini agrorum, ut Feſtus Pompeius ait. Hinc terminalia inſtituit Numa Pompilius, quæ VIII. cal. Martii, & magna quidem ruſticorum ſolennitate celebrabantur. Dion. Halic. *l.* II. *p.* 133. & Ovid. *faſt. l.* II. *v.* 655.

VIII. DE LIBERALIBUS.

Meminit horum Cicero *l.* XII. *ep.* 25. *n.* I. Erat autem Libero, id eſt, Bacho ſacer dies XVI. cal. Apriles: quemadmodum ex Ovid. *faſt. l.* III. *v.* 173. conſtat.

IX.

IX. DE QUINQUATRIBUS.

§. 1. Quinquatrus ſecundum Varronem duplices erant : *majores*, XIV. cal. Apriles ; & *minores* idibus Junii. De *majoribus* ſic ſcribit Ovidius *faſt. l.* III. *v.* 809.

Una dies media eſt, & fiunt ſacra Minervæ,
Nominaque a junctis quinque diebus habent.

Pluribus enim diebus agebantur : quod etiam Auguſtus teſtatur epiſtola ad Tiberium apud Sueton. *c.* 71. Minervæ autem ſacræ erant : eamque ob cauſſam ſcholis etiam ferias adferebant ; & magiſtris donaria, quæ *minervalia* vocabantur. Hor. *l.* II. *ep.* 2. *v.* 197. Ovid. *faſt. l.* III. *v.* 829. & Tertull. *de idol. c.* 10.

§. 2. Hæc de majoribus: *minorum*, vel minuſcularum, quæ in idus junias incidebant, explicationem habet Ovidius *faſt. l.* VI. *v.* 651. *ſeq.* Adde Varronem *de l. l. l.* V., & Feſtum.

X. DE LAVATIONE MATRIS DEUM.

Mater magna, ſeu deorum credebatur Saturni conjux, Jovis mater, fuiſſe: cujus antiquum ſimulacrum Romani oraculo, ut ferunt, moniti Peſſinunte, Phrygiæ urbe, advexerunt, ſummaque coluerunt religione. Id ſimulacrum quo-

tannis in amniculo Almone lavandum erat IV. cal. Aprilis, qui dies etiam in feſtis habebatur. Ovid. *faſt. l.* IV. *v.* 337. Sil. Ital. *l.* VIII. *v:* 364. Lucan. *l.* I. *v.* 600.

XI. DE CEREALIBUS.

Cerealia Cereris ſacra ſunt, a ſolis feminis parata V. idus Aprilis. De his Cicero *pro Balbo c.* 24. legatur: qui adſumta de Græcia eſſe docet, & per græcas ſemper curata ſacerdotes, & græca omnia nominata. Lugentibus non licebat intereſſe his ſacris. Liv. *l.* 22. *c.* 56.

XII. DE PARILIBUS.

Parilia XI. cal. Maii, qui natalis credebatur urbis Romæ eſſe, celebrabantur: a pariendo dicta, quod illo tempore omnia nova terra proferat, atque pariat. Cicero feſti hujus diei ſæpe meminit; *ad Att. l.* II. *ep.* 8. *l.* IV. *ep.* 9. *de divin. l.* II. *c.* 47.: & Plinius *l.* XVIII. *c.* 26. Quidam ſcribunt Palilia: quaſi Pales, paſtorum dea, nomen dederit. Ovid. *l.* IV. *v.* 721.

XIII. DE FLORALIBUS.

Floralium origo pudenda eſt, & fabulæ velamine deinde tecta, quam eleganter deſcripſit Lactantius *l.* I. *c.* 20. *n.* 6. 7. Deam autem finxerunt

xerunt eſſe, quæ floribus præſit: unde ludi ejus primum IV. cal. Maii celebrati, ac deinde in ipſum Maium translati ſunt. Ovid. *faſt. l.* V. *v.* 195.

XIV. DE BONAE DEAE SACRO.

Bonæ deæ ſacrum calendis Maii fiebat, ob dedicatum eodem die in Aventino monte templum. Ovid. *faſt. l.* V. *v.* 155. Antiquiſſima hæc regina fuit, Fauna etiam, & Fatua appellata: quam matronæ, & veſtales virgines in Pontificis, conſulis, vel prætoris domo ita colebant, ut nefas, & ſummum piaculum eſſet ullum maſculum hominem per eos dies intra ædes illas verſari. Vid. Plutarch. *in Cæſare p.* 711., & *Cicerone p.* 870. Cic. *pro Mil. c.* 5., & *de haruſp. reſp. c.* 17.

XV. DE CONSUALIBUS.

Conſualia quaſi Neptunalia ſunt, Neptuno equeſtri ſacrata XII. cal. Septembres. Originem docet Livius *l.* 1. *c.* 9. Plura autem de iis habet Varro *de l. l. l.* V: & Dionyſius Halic. *l.* 1. *p.* 26., & *l.* 11. *p.* 100. Quibus adde, quæ nos ad Eutropii *l.* 1. *c.* 1. notavimus.

XVI. DE VULCANALIBUS.

Vulcani ſacra erant, X. cal. Septembris in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

vetuſto Calendario Romano notanda. Nocturni ignis in iis uſus erat, & antelucanam hoc tempore lucubrationem inchoabant: quamquam auſpicandi tantum cauſſa plerique, utpote omittentes eam poſtea ad finem fere autumni. Quo Plinius reſpicit *l.* III. *ep.* 5. *n.* 8.

XVII. DE SATURNALIBUS.

§. 1. Saturni feſtum erat, in memoriam ſæculi aurei, quod Saturno in Italia regnante fuiſſe credebatur, quotannis menſe Decembri inſtitutum. Liv. *l.* XXII. *c.* 1. Eo feſto ſervis Domini præbebant epulum, iiſque miniſtrabant ipſi: & licentius pro lubitu agere ſervis erat permiſſum. Plin. *l.* II. *ep.* 17. *n.* 24. Munera etiam mittebantur inter ingenuos his diebus: & ſcholæ ceſſabant. Plin. *l.* IV. *ep.* 9. *n.* 7. *l.* VIII. *ep.* 7.: & Mart. *l.* V. *epigr. ultimo*.

§. 2. Primum uno die celebrabantur Saturnalia, deinde duobus, tribus: tandem ſeptem diebus, in quibus tamen quinque tantum feſti erant. Macrob. *ſaturn. l.* 1. *c.* 10.

XVIII. DE CALENDIS.

Omnes calendæ erant Junoni ſacratæ. Ovid. *faſt. l.* 1. *v.* 55. Martiæ autem calendæ ſpeciatim Marti quoque ſacrabantur, quia iis credebatur prælium inter Romanos, & Sabinos in

tra

tra urbem factum Sabinarum interventu diremtum eſſe. Munera feminæ mittebant; etiam ſervis præbebant epulum, ut viri ſaturnalibus: quod ex Solini *c.* 1. conſtat, etiam ex Tibulli *l.* III. *eleg.* I. *v.* 1. *ſeq.* & Mart. *l.* X. *ep.* 24. *v.* 3.

XIX. DE FERIIS LATINIS.

§. 1. Antiquum ſacrum erat, ab Albanis ad Romanos transmiſſum; quod quotannis in monte albano ab XLVII. populis Latii Jovi latiari, ſive latiali celebrabatur. Taurus autem Jovi communi populorum nomine immolabatur: & quiſque populus ſingulare aliquid adferebat ad epulas, quæ in illis feriis, & in monte illo inſtituebantur.

§. 2. Primum unus dies erat; deinde additus alter, tertius, itidemque quartus: quod ex Dionyſii Halicarnaſſenſis *l.* IV. *p.* 250., ubi ritum ipſum; & *l.* IV. *p.* 415., ubi amplificationem deſcripſit, conſtat.

§. 3. Non habebant ſtatum diem, ſed poterant alio, atque alio menſe celebrari. Liv. *l.* XLIV. *c.* 19.: & *l.* XLI. *c.* 16. Adde his teſtimoniis eumdem Livium *l.* XLII. *c.* 10.: & nota ex Dionis Caſſii *l.* XLVI. *p.* 313., non potuiſſe conſules auſpicato ex urbe ad bellum, & in provinciam abire, niſi prius feriis latinis rite celebratis; utpote qui non minus, quam reliqui ma-

giſtratus omnes intereſſe illis ſacris debebant.

§. 4. An etiam latiari Jovi ibidem ſanguine humano litatum fuerit, quod videntur chriſtiani ſcriptores paganis objeciſſe, diſputamus in notis ad Lact. *l.* 1. *c.* 21. *nu.* 3. & Minuc. *c.* 30. *nu.* 4.

XX. DE VERE SACRO.

§. 1. Feſtis diebus poſſumus adjicere ver ſacrum; quo quidem victimæ ſignificabantur, quæ tamen a tempore nomen ſuum habebant. Magnis enim in periculis vovebant Romani, quæcunque proximo vere nata eſſent animalia, ſe immolaturos. Videatur, præter Feſtum Pompeium, Liv. *l.* XXII. *c.* 9. *l.* XXXIII. *c.* 30. *l.* XXXIV. *c.* 44.

§. 2. An etiam homines intra hos menſes nati ad ver ſacrum pertinuerint, diſquiri poteſt. Livius videtur negare, pecus nominans ex pontificum decreto, non homines. Pompeius autem Feſtus in voce *Mamertini* exemplo, & oraculi auctoritate adfirmat, non quidem immolatos fuiſſe, ſed patria juſſos decedere, quum adoleviſſent. Verum ſemper, aut ſæpius id factum eſſe, probabile haud eſt.

XXI.

XXI. DE LUDIS SAECULARIBUS.

§. 1. Feſti dies erant, quovis revoluto ſæculo celebrati. Non autem certum, centeſimo quovis anno actos eſſe hos ludos: quia de numero annorum ſæculi diſceptatur, & vulgo centum anni conficiunt ſæculum, alii centum quinque, multi centum decem ad hos ludos requiſiverunt; de quo ex Cenſorino diſputamus *in orat.* v. programmatis noſtris ſubjecta.

§. 2. Originem deſcripſit Zoſimus *l.* II. *ineunte*; ritus, & cæremonias *c.* 5., ubi in primis præparatio luſtrationis eſt deſcripta. Addi poteſt Horatii *carmen ſaculare:* & Suetonius *in Auguſto c.* 31. *in Claudio c.* 21, *&* *in Domitiano c.* 4.

SECTIO IV.

DE

RITIBUS, AC CÆREMONIIS SACRIS.

I. DE ALBIS, ET NIGRIS VICTIMIS.

Albæ victimæ diis ſuperis, nigræ inferis mactabantur. Sil. *l.* IV. *v.* 548. *l.* VIII. *v.* 451. Zoſ. *l.* II. *c.* 3. *num.* 5. 6. Præter victimas etiam alia Judæorum more adhibebantur: thus maxime, ſal, vinum, & ſimilia. Hor. *l.* 1. *od.* 36. *v.* 1. *l.* IV. *od.* 2. *v.* 51. Plin. *l.* X. *ep.* 97. *n.* 5. Prud. *periſt. hymn.* 3. *v.* 122. Hinc proverbium in præfatione Plinii: *mola ſalſa litant, qui thura non habent.*

II. DE LITATIONE.

Litare non idem eſt, quod ſacrificare: ſed feliciter, & cum ſigno boni eventus victimam peragere. Vid. Liv. *l.* XXVII. *c.* 23.: & *l.* XLI. *c.* 15.

III.

III. DE CORONIS IN SACRIFICIIS.

Et ſacrificantes, & victimæ coronabantur. Plin. *l.* XVI. *c.* 4. Prud. *in Romano v.* 1021. Val. Max. *l.* V. *c.* 10. *ext. n.* 1. 2. Hinc intelligis Act. XIV. *v.* 13. *ταύρους καὶ στέμματα.*

IV. DE VITTATIS SACRIFICANTIBUS, ET VICTIMIS.

Vitta ex lana, vel lino erat, qua crines conſtringebantur ſacrificantium, & quæ ipſis quoque victimis imponebatur. Exempla occurrunt apud Virg. *Aen. l.* V. *v.* 366. Ovid. *metam. l.* XV. *v.* 131. Prud. *in Laurentio v.* 525. Arboribus quoque ſacris, & ſtatuis Deorum vittæ dabantur. Prud. *adverſus Symm. l.* II. *v.* 1009.: *in Romano v.* 302.

V. DE ARA CAESPITICIA.

Ara gentilium plerumque cæſpiticia ſtruebatur. Vid. Sil. Ital. *l.* IV. *v.* 703. *l.* XVI. *v.* 262.: & Hor. *l.* I. *od.* 19. *v.* 13.

VI.

VI. DE VICTIMA FUGIENTE.

Triſte omen habebatur, quum victima ad aram adducta profugeret. Tac. *hiſt. l.* III. *cap.* 56. *num.* 2. Sil. *l.* V. *verſ.* 63., & *l.* XVI. *v.* 264.

VII. DE RITU VERRENDI FANA CRINIBUS.

In magnis periculis matronæ Romanæ paſſis crinibus proſtratæ humi ſupplicabant diis ſuis: & quum inter precandum moverentur, crinibus quaſi templa verrebant. Unde formula illa frequentius occurrit. Lege Liv. *l.* III. *c.* 7 *l.* XXVI. *c.* 9. & Sil. *l.* VI. *v.* 560.

VIII. DE INFERIARUM RITIBUS.

§. 1. Inferiæ erant ſacrificia in funere diis manibus oblata, aut annua etiam memoria a cognatis repetita. Peragebantur non ſolum atris victimis: ſed præcipue lacte, melle, oleo, & ſimilibus. In cæde vindicanda etiam noxii ad aram cædebantur. Deducunt nomen ab inferis; Feſtus autem ab inferendo, quia formulæ conſuetæ erant *ferre inferias*, & *inferre*.

§. 2. Exempla vide apud Virg. Aen. *l.* III. *v.* 66.

v. 66. *l.* IX. *v.* 215. *l.* X. *v.* 519. & *l.* XI. *v.* 82. Omnium autem clariſſime hic ritus cognoſcitur ex columna ſeu cenotaphio Lucii Cæſaris, quod Piſis in Italia viſitur, cui inſcriptum eſt: *Inferiæ mittantur, boſque, & ovis atri infulis cærulis infulati diis manibus ejus mactentur: eæque hoſtiæ eo loco adoleantur, ſuperque eas ſingulæ urnæ lactis, mellis, olei fundantur.*

C A P. I I.

DE MAGISTRATIBUS ROMANORUM,

ejuſque

S E C T I O I.

DE MAGISTRATIBUS ANTIQUIS.

I. DE REGIBUS.

§. I.

Romanum imperium initio penes reges fuit: qui mirabili ordine, ac ſucceſſione, nec ſine providentia ita ſe ſecuti ſunt, ut ex minima republica fieret omnium maxima, & potentiſſima. *Romulus* enim heroico ingenio fundamenta jecit urbe ad Tiberim condita. *Numa* religionem in populum ſemibarbarum induxit: conſtituendæ reipublicæ imprimis neceſſariam, ut fides, & integritas ſervetur, quod vinculum eſt generis humani. Tertius rex, *Tullus Hoſtilius*, arma tractare juventutem docuit: ut contra injurias reſpublica nova defenderetur. Quartus rex, *Ancus*

cus Martius, rempublicam ampliavit: coloniam deduxit: ut mare liberum haberet, proſpexit: &, ut tute eſſet etiam altera Tiberis ripa, Janiculum trans Tiberim munivit, & ponte urbi junxit. Quintus, *Tarquinius Priſcus*, græcus genere, majeſtati corroborandæ ſplendorem addidit, & ornatum, ſine quo contemtui ſunt imperantes. Sextus, *Servius Tullius*, cenſum egit: id eſt, numerum civium iniit, ut ſciret, quot arma tractare poſſent; & in mores ſingulorum, etiam opes inquiſivit, ut tributa pro opum conditione imponerentur. Septimus rex, *Tarquinius Superbus*, id eſt, tyrannus, ſuis, & ſuorum injuriis fecit, ut Romani exactis regibus in libertatem ſeſe vindicarent, & pro regia conſtituerent rempublicam liberam poſt CCLIII. annum v. c. Vid. Liv. *l.*1. *c.*7. *ſeq.*: & Eutrop. *l.* 1. *c.* 1. *ſeq.*

§. 2. De poteſtate regum quæritur, fueritne abſoluta necne? Pomponius quidem *l.*11. *parag.* 14. *ff. de origine juris* dicit, reges omnem poteſtatem habuiſſe. Sed nec hoc putamus abſolute interpretandum eſſe: quia Romulus præſentiens Italos, uti alios Europæos, ſervitutem ferre non poſſe, centum ſibi ſenatores adlegit, quorum conſilio rempublicam adminiſtraret, qui nonnumquam acriter cum eo decertarunt. Liv. *l.* 1. *c.*8.: & Eutrop. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 3. Deinde, quod ex fragmento Ciceronis *apud Senecam ep.* 108. conſtat, provocatio ad populum etiam a regibus fuit. Exemplum clarum habet Livius *l.* 1. *c.* 26.

II.

II. DE CONSULIBUS.

§. 1. Exactis regibus propter injurias, & tyrannidem conſulare imperium inſtitutum eſt, ſub quo Roma feliciſſima facta ad Cæſarum uſque tempora floruit. Pro uno rege duo conſules creati ſunt: ut, ſi unus malus eſſe voluiſſet, alter eum, habens parem poteſtatem, coerceret. Et placuit, ne imperium longius, quam unum annum haberent: ne per diuturnitatem imperii inſolentiores fierent. Vid. Eutrop. *l.* 1. *c.* 8.

§. 2. Ornamenta conſulum erant prætexta toga, ſeu purpura, ſella curulis et XII. lictores cum faſcibus virgarum, quibus ſecuris inſerta erat: quamquam valeria lege ſtatim poſt ſecuris faſcibus fuit ademta, ad terrorem mitigandum; extra urbem autem, ut in bellis, & provinciis, ſervata. Plutarch. *in Publicola p.* 102.

§. 3. Conſules erant vel ordinarii, vel ſuffecti. *Ordinarii* dicebantur, qui cal. jan. conſulatum inibant, & a quibus in feſtis annus denominabatur. Horum ſi quis eſſet mortuus ante finitum conſulatum, vel alia de cauſa magiſtratu decederet: alius in locum *ſufficiebatur*. Hoc raro olim contingebat: ſub Cæſaribus autem frequentiſſime. Exempla vide apud Lamprid. *in Alex. Severo c.* 43. Sueton. *in Galba c. 6. Cæſ. c.* 80. *Aug. c.* 26., & Cic. *l.* VII. *ep.* 30. *n.* 5.

§. 4.

§. 4. Bello Macedonico leges annariæ conſtitutæ ſunt. Liv. *l.* XL. *c.* 43. Et conſulatui quidem præſtitutus eſt annus quadrageſimus tertius. A qua lege pauci tamen fuerunt excepti, in quibus eſt Pompejus. Cic. *pro leg. man. c.* 21., & Eutrop. *l.* V. *c.* 6. *n.* 4.

§. 5. *Conſulares* dicebantur, qui conſulatu erant functi: quemadmodum *prætorii*, *ædilitii*, *quæſtorii*; qui prætura, ædilitate, quæſtura. Eutrop. *l.* V. *c.* 6. *n.* 6.

§. 6. Conſulare imperium aliquoties interruptum fuit. Non dicemus jam de *dictatura*, quæ tantum ſemeſtris fuit, conſulibus manentibus, ſine autem ordinaria poteſtate: quod infra pluribus explicabitur. Sed decemviratus fuit, qui primo conſulatum interrupit: deinde tribunatus militum conſulari poteſtate.

III. DE DECEMVIRIS.

§. 1. Decemviri electi erant, ut leges Romanis ex atticis Solonis conſcriberent, & ſumma poteſtate, ceſſante interim conſulatu, promulgarent: a quibus primum X. tabulæ legum factæ; poſtea, quum nonnulla deeſſe viderentur, duæ adjectæ, ut XII. *tabulæ* legum fierent, quæ ſunt fons omnis juris Romani, uti ex fragmentis hodieque apparet.

§. 2. Ad biennium vix duravit hic decemviratus. Quum enim decemviri poteſtate ſua ſe-

quenti anno abuterentur: abrogata illis fuit poteſtas, & conſules reducti. Vide Livium *l.* III. *c.* 32. *ſeq.* Eutrop. *l.* 1. *c.* 16., *&* *l.* 11. *ff. de O. I.* §. 24.

IV. DE TRIBUNIS MILITUM CONSULARI POTESTATE.

§. 1. Quum exercitus tumultum faceret, nolletque ab otioſis magiſtratibus ex urbe regi: conſules rurſus abrogati ſunt; & in illorum locum miſſi tribuni militum, qui in urbe alii, atque alii incerto numero imperarent pro conſulibus.

§. 2. Initio tres creati ſunt, Liv. *l.* 4. *c.* 6., *&* 16., deinde quatuor, *c.* 31.: aliquando ſex, & octo, *l.* V. *c.* 1., & 31. Sic per multos factum eſt annos. Tandem vero pœnituit Romanos militaris imperii, & rurſus facti conſules. Eutrop. *l.* II. *c.* 1.

V. DE PRÆTORIBUS.

§. 1. Olim nullus magiſtratus exactis regibus Romæ erat, niſi conſules. Quum vero hi bellis gerendis, aliiſque negotiis publicis detinerentur: additus fuit novus magiſtratus, prætor unus, qui jus in urbe diceret. Creſcente autem civitate, & multis peregrinis adventantibus; creatus eſt alius *Prætor*, qui *peregrinus* appellatus

latus eſt ab eo, quod inter peregrinos jus diceret. Prior autem ille, qui civibus in urbe jus reddebat, dictus eſt *prætor urbanus*. De his Pomponius *l.* II. *ff. O. I.* §. 27. 28., & Livius *l.* IV. *c.* I., & *l.* VIII. *c.* 15., ubi ex plebe etiam creatum prætorem ſcribit. De aucto autem prætorum numero, de eorumque officiis poſt punica bella accurate ibidem Pomponius §. 32. quorum ſumma eſt, tot prætores fuiſſe additos, quot provinciæ in ditionem venerant. Vide & Livium *epit.* XIX., & *l.* XXXII. *c.* 27. *l.* XXXIII. *c.* 26.

§. 2. Creſcentibus criminibus quæſtiones publicæ ſunt conſtitutæ, & juridicæ cauſſæ inter Prætores diſtributæ; atque a ſullano tempore, uſque ad Ciceronem octo Prætores in urbe fuerunt; & Cicero inter octo primus, ut ipſe *in Piſonem c.* I., *& pro leg. man. c.* I. teſtatur. Julius Cæſar XII., vel, ut Dio Caſſius *l.* XLIII. *p.* 237. habet, XIV. fecit Prætores: Auguſtus XVI.: Claudius adjecit duos, ut fierent XVIII.: quem numerum Imperator Nerva reſtituit, quum a Tito minutus fuiſſet. Vide he his omnibus Pompon. *l. c.* Qui vero in provinciis jus dicebant, ſæpius *Proprætores* dicuntur, quam Prætores: quanquam nec altera appellatio in illis inſolens eſt. Cic. *de prov. conſul. c.* 7.

§. 3. Prætores late dicti erant exercituum rectores: unde cohors prætoria, & ipſum prætorium appellantur. Sed de his non proprie hoc

loco agimus. De edicto Prætoris etiam dicemus infra, ubi de Romanorum legibus, & judiciis exponemus.

VI. DE ÆDILIBUS.

§. 1. Ædiles non unius generis erant: nomen vero omnes ab ædibus habent publicis, quas curabant. Primum eodem tempore, quo tribuni plebis ſunt creati, duo ædiles facti ſunt: non tantum ædium cauſſa, ſed ut curam quoque rerum venalium gererent. Et hi erant minoris dignitatis, atque ex plebe electi, quorum meminit Livius *l.* III. *c.* 55., *&* 57.

§. 2. Majoris dignitatis erant, qui dicti ſunt *ædiles curules* a ſelle curuli, maximorum magiſtratuum ornamento. Et hi etiam duo erant, ex patriciis electi eodem anno, quo Prætores primum facti ſunt: quanquam deinde ad alios etiam ordines hoc munus pervenit. Liv. *l.* VI. *c.* 42., *&* *l.* VII. *c.* 1.

§. 3. Officium autem ædilium curulium præcipuum erat ludos, & ſpectacula curare, atque edere, & quidem poſteriori tempore, quum luxus increbuiſſet, ſuo ipſorum ſumtu. Unde quo ſplendidiores ludos edidiſſent, eo plus etiam gratiæ conſequebantur a populo: adeo ut Mamerco repulſam conſulatus attulerit prætermiſſio ædilitatis; quod Cicero teſtatur *de offic. l.* II. *c.* 17.

§. 4.

§. 4. Julius Cæſar duos ædiles *cereales* addidit, qui rei frumentariæ proſpicerent: ut Dio Caſſius *l.* XLIII. *p.* 239. refert. Sed & hi inferiores erant curulibus: & ubi ædiles abſolute nominantur, & ædilitas, ſemper ædiles curules intelliguntur.

VII. DE QUÆSTORIBUS.

§. 1. Quæſtura primus gradus ratione ætatis apud Romanos erat, qui etiam ab adoleſcentibus, & ante triceſimum annum peti, & geri poterat. Munus quæſtorum erat pecuniam curare publicam, ærario inferre; & ubi opus erat, diſtribuere, ejuſque rei rationes, atque tabulas conficere. Initio id conſules ipſi adminiſtrabant. Quum vero auctius ærarium eſſe cœpiſſet: ut eſſent, qui illi præeſſent, conſtituti ſunt quæſtores duo, qui *urbani* dicebantur. His additi poſtea duo alii, qui conſulibus in bello adeſſent: non minus ac illi tam ex plebejis, quam patriciis paullo poſt eligendi. Creſcente autem republica duplicatus numerus eſt, & octo creati ſunt quæſtores. Vide *l.* 11. *ff. de O. I.* §. 22., & Livium *l.* IV. *c.* 43. 54., *& epit. l.* XV.

§. 2. Sulla tandem conſtituit XX., ex quibus ſingulis præſidibus provinciarum quæſtor eſt ſorte additus: quod Tacitus refert *annal. l.* XI. *c.* 22. *n.* 6. Julius autem Cæſar apud Dionem

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Caſſium *l.* XLIII. *p.* 237. dicitur XL. creaſſe, ut numerus ubique ſufficeret. Atque talis quidem quæſtor filii loco habebatur a Præſide, propter ſortis ſanctitatem: quemadmodum Præſes colebatur a quæſtore pro patre. Vide Ciceronis *divin. in Verrem c.* 19. *l.* II. *ep.* 19. *n.* 1., & *lib.* XIII. *ep.* 10. *n.* 1.

§. 3. Tandem ad præfectos translata eſt ſub Cæſaribus ærarii cura, quæ antea quæſtorum erat; uti infra docebimus *ſect.* II. *n.* III.

VIII. DE CENSORIBUS.

§. 1. Cenſura magiſtratus erat ſummus, & propter morum caſtigationem formidabilis. Initium habuit ſub rege VI., ſed tum ad hominum numerum, & fortunas magis, quam ad mores referebatur. Flor. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 4. Eutrop. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 3. Conſules, qui regibus ſuffecti ſunt, aliquandiu adminiſtrarunt. Creſcente autem republica novus magiſtratus conſtitutus eſt, bini cenſores; qui non modo numerum inirent populi, & fortunarum, ſed mores etiam ſingulorum obſervarent, in maloſque animadverterent: iſque magiſtratus quolibet quinquennio conſtituebatur, & poteſtas etiam quinquennalis erat. Poſtea viſum fuit periculo non carere, ſi tam diuturna poteſtas penes paucos eſſet: ideoque Æmilia lege ad annum, vel ſeſquenníum reducta eſt poteſtas cenſoria. Vide

Liv.

Liv. *l.* IV. *c.* 8., *&* 24., *&* *l.* IX. *c.* 33.

§. 2. Propter morum caſtigationem cenſores etiam dicti ſunt magiſtri morum. Vide Ciceronem *l.* III. *ep.* 13. *n.* 8. Pœna autem cenſoria erat, ſenatorem *movere ſenatu*, & equiti *adimere equum publicum*: & quemcunque civem, [ſive is ſenator, ſive eques, ſive plebejus eſſet] vel *tribu movere*, hoc eſt, e tribu (ſive urbana, ſive ruſtica) nobiliore in tribum (ſive urbanam, ſive ruſticam) minus nobilem, aut e ruſtica in urbanam referre, immo pro delicti gravitate ab omni tribu removere, atque ſic etiam jure ſuffragii privare, ſervato tamen reliquo civitatis jure, quod poſt urbem a Gallis captam (Liv. *l.* V. *c.* 50.) in Cæritum tabulas referre dixerunt; vel *ærarium facere*, hoc eſt, cenſu ordinario in commodum ærarii multiplicato (ſive ſervata, ſive mutata, ſive ademta tribu) punire. Vide Aſcon. *Pedianum in divin. Cic. Verr. c.* 3. Liv. *l.* IV. *c.* 24. *l.* XXIV. *c.* 18. *l.* XXIX. *c.* 37. *l.* XLV. *c.* 15. Gell. *l.* XVI. *c.* 13.: & Gundlingianorum *part.* XVI. *n.* 1. §. 30. *ſeqq.*

§. 3. Sub Cæſaribus ceſſavit cenſura: aliquando reducta, ſemel ſub Auguſto, iterum ſub Claudio; nec vero conſtanter ſervata, quia mali Principes metuebant, ne ſui etiam mores notarentur. Vide Svet. *in Auguſto c.* 37., *&* *Claudio c.* 16.

IX. DE TRIBUNIS PLEBIS.

§. 1. Sexto decimo poſt ejectos reges anno plebs romana, viſa ſibi a patriciis opprimi, ſeceſſit ex urbe trans Anienen fluvium in montem ſacrum: nec revocari potuit, niſi impetrato ſui ordinis magiſtratu; qui tribuni plebis dicebantur, ut cauſſam plebis in ſenatu ſemper agerent, poteſtatemque haberent decretis ſenatus contradicendi, quod *intercedere* vocabant, id eſt, ut hodie dicimus, *proteſtari*.

§. 2. Initio duo creati ſunt tribuni plebis, qui vero ſtatim tres collegas adſumſerunt, ut quinque eſſent. Triceſimo ſexto poſt anno x. tribuni plebis creati ſunt: qui numerus manſit per tempora inſecuta. Vide de his omnibus Livium *l.* II. *c.* 32. *l.* III. *c.* 30. Pomponium *l.* II. *ff. de O. I.* §. 20. Eutrop. *l.* I. *c.* 12.

§. 3. Quamvis igitur ordine, & dignitate minor hic magiſtratus eſſet: maxima tamen, immo ſumma ejus erat poteſtas propter potentiam multitudinis, ſive plebis, qua facile poterant conſulibus, & toti ſenatui reſiſtere. Quæ cauſſa fuit, ut Cæſares quoque ſinguli quotannis ſibi hanc poteſtatem adſumerent, & in publicis monumentis per annos eam numerarent: ut tribuciniæ poteſtatis anno VIII. (TR. P. VIII.). Noluerunt enim tribuni plebis vocari, uſi tantum appellatione *tribuniciæ poteſtatis*:

ſtatis;

ſtatis: uti ex nummis illorum, & marmoribus videre licet. Hoc autem fecerunt, ut ſpecioſo titulo poteſtatem, & imperium in ipſos conſules, & ſenatum ſibi vindicarent. Vide Tac. *annal. l.* III. *c.* 56. *n.* 1., & de poteſtate reliquorum tribunorum novem ſub Cæſaribus, quæ admodum reſtricta erat, & umbra tantum veteris, Plin. *l.* 1. *ep.* 23., *& notas noſtras ad illam*.

X. DE TRIBUNIS ÆRARIIS.

§. 1. Horum meminit Cicero *catil.* IV. *c.* 7. Erant autem ordinis minoris Præfecti, qui attributam pecuniam, id eſt, ſtipendium militum de ærario adnumerabant quæſtori, ut inter milites divideretur. Vid. Aſcon. *in Cic. Verr.* III. *de prætura urbana*.

§. 2. Intererant etiam populi loco judiciis hi tribuni, quando illa ex tribus ordinibus mixta eſſent. Vid. Aſcon. *in Cic. orat. pro M. Scauro ſub finem*.

XI. DE TRIUMVIRIS CAPITALIBUS, ET MONETALIBUS.

Conjungimus hos, quia Pomponius *l.* II. *de O. I.* §. 30. conjunxit: forſan quia pari dignitate erant, utrique autem minore. *Capitales* Triumviri cuſtodiam carceris habebant, & curam

ram ſuppliciorum. *Monetales* rem monetariam, ſive cudendæ pecuniæ curabant.

XII. DE INTERREGE.

§. 1. Ordinarios magiſtratus expoſuimus hactenus. Extra ordinem erat Interrex: & in ſummis neceſſitatibus, ac periculis dictator, & magiſter equitum. De quibus nunc pauca adferenda ſunt.

§. 2. Nimirum poſt Romuli, aliorumque regum mortem res ad interregnum rediit, ut quinos ſingulos dies novus Interrex imperaret. Liv. *l.* 1. *c.* 17. 21. 32.

§. 3. Idem in libera republica obſervatum fuit: ut, ſi conſules reipublicæ cauſſa abeſſent, aut morbo impedirentur, aut vitio creati eſſent, Interrex comitiis habendis proderetur. Prodebatur autem patricius a patricio, qui æque circumſcriptus erat quinque dierum ſpatio: nec moris fuit, ut primus Interrex comitia haberet; ſed is peractis diebus quinque alium prodebat, & ſic deinceps, ſi comitia differrentur. Vid. Cic. *pro domo c.* 14. *l.* VII. *ep.* 11. *n.* 1. Liv. *l.* V. *c.* 31. *l.* VII. *c.* 21. *l.* VIII. *c.* 17. *l.* IX. *c.* 7., & Aſcon. *in orat. pro Milone*.

XIII.

XIII. DE DICTATORE, ET MAGISTRO EQUITUM.

§. 1. In extremis periculis ad unius imperium, ſed certo tempore definitum, refugiebant Romani: electo viro probatæ virtutis, cui omnes parerent, & qui dictator appellabatur. Atque hoc imperante conſulare imperium quodam modo ceſſabat. Liv. *l.* II. *c.* 18., & Eutrop. *l.* I. *c.* II. *n.* I.

§. 2. Dictatorem dicebant, hoc eſt, eligebant conſules: quemadmodum dictator magiſtrum equitum, cui imperium equeſtris militiæ dabatur; quanquam poteſtate impari, quoniam parere jubebatur dictatori, exercitum majorem, ſive pedeſtrem ducenti. Liv. *l.* IX. *c.* 38. *l.* IV. *c.* 57. *l.* XXII. *c.* 26., & 30.

§. 3. Poſt bellum punicum II., quum non in Italia, extra quam cum exercitu ire dictatori haud licebat; ſed in longinquis regionibus bella gererentur: ceſſavit hic magiſtratus ad Sullæ uſque tempora, qui ſe ipſe dictatorem & quidem perpetuum fecit. Vell. *l.* II. *c.* 28. *n.* 2. Sullæ exemplum poſtea ſecutus eſt Julius Cæſar: quo interemto prorſus abolitum eſſe dictaturæ nomen Cicero docet *phil.* I. *c.* I. 2., & 13.

§. 4. Cæterum obſervari hoc loco poteſt, non tantum propter bellorum pericula; ſed nonnunquam aliis etiam de cauſſis, ut ſunt ſeceſſiones

ceſſiones plebis, comitia, feriæ creatos fuiſſe dictatores: ut hoc modo malum publicum averteretur, vel aliquid ſalutare populo decideretur. Exempla hujus rei vide apud Livium *l.* VIII. *c.* 18. 23., *&* 28.

SECTIO II.

DE MAGISTRATIBUS NOVIS SUB CAESARIBUS.

SVetonius *de Auguſto c.* 37. ſic memorat: *Quo plures partem adminiſtrandæ reipublicæ caperent, nova officia excogitavit.* Ex quibus præcipua interpretaturi ſumus: addituri etiam, quæ Svetonius prætermiſit.

I. DE PRÆFECTO URBIS.

§. 1. Svetonius dicto loco in novis Auguſti magiſtratibus præfecturam urbis numerat: cujus ampliſſima poteſtas erat non tantum in urbe, ſed ad centeſimum etiam lapidem ab urbe. Munia ejus late deſcribuntur *toto titulo* XII. *ff.*

§. 2.

§. 2. Nomen quidem vetus eſt, quum in republica libera magiſtratibus vel belli, vel ſacrorum cauſſa abſentibus Præfectus urbi fuerit conſtitutus: nunc autem novus magiſtratus fit; isque perpetuus, non ſub conditione abſentiæ; nova poteſtate, ac dignitate a Cæſare ornatus. De diſcrimine veteris, & novi præfecti lege Tacitum *l.* VI. *c.* 11.

II. DE PRÆFECTO PRÆTORII.

§. 1. Etiam hanc dignitatem Auguſtus Cæſar inſtituit: ut præfectus prætorio milites prætorianos, qui corpori Cæſaris tuendo Romæ excubabant, regeret; & ſupremam ſimul curam captivorum, qui per milites cuſtodiendi erant, haberet. Act. XXVIII. *v.* 16. Plin. *l.* X. *ep.* 65. *n.* 2.

§. 2. Duos Auguſtus conſtituit: quod deinceps ita manſit, ut alternis vicibus officium facerent. Dio Caſſ. *l.* LV. *p.* 555. Nonnunquam unus tantum fuit: ſub Commodo tres. Lamprid. *in Commodo c.* 6. Conſtantinus quatuor fecit cum ſumma adminiſtrandi imperii poteſtate, quod in quatuor partes pro quatuor præfecturis diſtribuit. Ex codice I. R. id notum eſſe poteſt: clarius expoſuit Zoſimus *l.* II. *c.* 32. *ſeq.*

§. 3. Minor ejus poteſtas ſub Auguſto erat, & ad prætorium reſtricta: ſubſecutis Cæſaribus in immenſum crevit, & univerſæ militiæ, ac rei-

reipublicæ cura penes præfectum erat prætorii. Princeps, quum crearetur, gladium ipſi dedit: quo ad illum tuendum uteretur, ſi bonus eſſet; ſi malus, contra illum. De quo Plinius *in paneg. c.* 67. & Dionis Caſſii. *excerpta in Trajano p.* 778.

III. DE PRÆFECTO ÆRARII.

§. 1. Aerarii curam, quæ antea quæſtorum fuerat, Nero ad præfectos tranſtulit. Tac. *ann. l.* XIII. *c.* 28. *n.* 6., & Gell. *l.* XIII. *c.* 23. Dictum fuit ærarium Saturni, quia in templo hujus dei ſecuritatis cauſa adſervabatur pecunia publica. Vide Plinium *l.* V. *ep.* 15. *n.* 1., & *l.* X. *ep.* 20. *n.* 1: qui hujus officii etiam ut laborioſſimi, & maximi *paneg. c.* 91. *n.* 1. meminit.

§. 2. Ab hoc ærario, quod commune, & reipublicæ erat, diſtinguebatur *fiſcus*, ſeu ærarium novum: ab Auguſto diviſis cum ſenatu, & populo provinciis inſtitutum, ut aulæ inde ſumtus ad ornatum principis, ac dignitatem tuendam præberentur; atque a fiſcellis dictum, quibus olim pecunia deponebatur. Vid. Tac. *ann. l.* II. *c.* 47. *n.* 3. *l.* VI. *c.* 2. *n.* 1. & Plin. *pan. c.* 36. *n.* 3., & *c.* 42. *n.* 1. Atque ex eo tempore novum verbum ortum eſt *confiſcare*, quod eſt in fiſcum redigere. Vid. Suet. *Calig. c.* 41., & Flor. *l.* III. *c.* 9. *n.* 3.

IV.

IV. DE PRÆFECTO ÆRARII MILITARIS.

§. 1. Ab ærario communi, & fiſco differebat ærarium militare: quod Auguſtus, non tam conſcribi milites, aut cogi volens, quam mercede conduci, & præmiis allici, inſtituit; ut perpetuo, ac ſine difficultate ſumtus ad tuendos eos, proſequendosque ſuppeteret. Svet. *in Aug. c.* 49. Novas etiam leges propterea tulit; præcipue illam de viceſimis, puta hereditatum, qua heredes non proximi viceſimam partem inferre huic ærario jubebantur: quod ſine ullius injuria fieri poterat; quemadmodum cetera, quæ augendo illi excogitavit. Vide Dionem *l.* LV. *p.* 565. Plinium *l.* VII. *ep.* 14. *n.* 1., & *paneg. c.* 37. *n.* 1. *&* *c.* 39. *n.* 1.

V. DE QUÆSTORE PRINCIPIS, SIVE CÆSARIS.

Quæſtores Cæſaris qui vocabantur, non in provinciis erant: ſed in urbe, & palatio. Dicebantur etiam candidati principis: & munus eorum erat, libris principalibus in ſenatu legendis vacare. Vide Tac. *ann. l.* XVI. *c.* 27. *n.* 2. Svet. *in Aug. c.* 65., *&* *Nerva c.* 15. Plin. *l.* VII. *ep.* 16. *n.* 2., *& ff. legem unicam de officio quæſtoris.*

VI.

VI. DE CURATORIBUS VIARUM, ET ALVEI TIBERINI.

§. 1. Auguſti Cæſaris & hoc inſtitutum eſt: ut ex Svet. *c.* 37. conſtat. De via Æmilia vide Plinium *l.* v. *ep.* 15. *n.* 1. Sic Appiæ etiam, Flaminiæ, aliarumque viarum curatores ſæpe in antiquis inſcriptionibus laudantur: quorum hoc munus erat, ut viæ lapidibus ſtratæ per Italiam conſervarentur.

§. 2. Curator alvei tiberini itidem ab Auguſto inſtitutus fuit: ut ripæ ſemper munitæ eſſent; nec fluvius vel urbem, vel agros, & campos exundationibus, quod ſæpe acciderat, vaſtaret. Inſcriptiones, quæ Plinii epiſtolis præfiguntur, teſtantur hodieque, Plinium juniorem alvei tiberini, & riparum curatorem fuiſſe.

VII. DE PRÆFECTIS CLASSIS UTRIUSQUE.

Auguſtus Cæſar ad tutelam ſuperi maris, & inferi claſſes duas, unam Miſeni, & alteram Ravennæ collocavit: binis etiam præfectis conſtitutis, qui utrique præeſſent. Tradit hoc Svetonius *in Aug. c.* 49.

VIII.

VIII. DE LEGATO CÆSARIS, SEU PRINCIPIS.

§. 1. In libera republica provinciæ Romanæ adminiſtrabantur per proconſules, & proprætores. Auguſtus Cæſar mutavit ſtatum, & provincias diviſit: pacatas ſenatui, & populo reliquit; quibus opus erat præſidio militari, & exercitu, ſibi ſervavit. Et illæ dictæ ſunt provinciæ populi: hæ Cæſaris, ſeu principis. In priores miſſi magiſtratus forma veteri: id eſt, proconſules, aut proprætores, qui ſæpe prætores abſolute nominantur. In Cæſaris autem provincias, qui ſummo cum imperio, & exercitu mittebantur, neque proconſules, neque prætores dicti ſunt: ſed legati Cæſaris, ſeu principis. Strabo *l.* XVII. *exeunte*.

§. 2. Tales autem legati principum diſtinguendi ſunt a legatis legionum: qui in libera republica æque ac cæſarea erant, & de quibus dicemus plura in re militari. Legatus Cæſaris dicebatur etiam legatus *conſularis*, quia ex conſularibus viris plerumque legebatur. legatus autem legionis dictus quoque eſt legatus *prætorius*, quia huic muneri plerunque prætorii viri præficiebantur. Vide de his diſtinctionibus Svet. *Veſpaſ. c.* 4. Tac. *annal. l.* 11. *c.* 80. *n.* 3. *l.* IV. *c.* 73. *n.* 4. *hiſt. l.* I. *c.* 56. *n.* 1. *Agric. c.* 7. *n.* 5. Plin. *l.* VI. *ep.* 31. *n.* 4., & *l.* VII. *ep.* 31. *n.* 2.

IX. DE PROCURATORIBUS CÆSARIS.

§. 1. In libera republica, & ſub Cæſaribus in provinciis populi quæſtores dicebantur, quos in ſuis provinciis Cæſares maluerunt procuratores appellari. Atque hi curam redituum habebant, & fiſci. Dio *l.* LIII. *p.* 506.

§. 2. In minoribus provinciis, ubi nullus erat Cæſaris legatus, procuratori etiam jurisdictio commiſſa erat: ut clare videmus in Pilati exemplo, quem Tacitus romano more *ann. l.* XV. *c.* 44. *n.* 4. procuratorem Cæſaris appellat. In majoribus provinciis, ubi legatus erat Cæſaris, ſolos reditus, & fiſcum procurator curabat. Tac. *Agric. c.* 15. *n.* 3.

§. 3. Sub poſterioribus Cæſaribus dicebantur *rationales*, qui fiſco, & reditibus colligendis præfecti erant. Vide Eutr. *l.* IX. *c.* 9. *n.* 7. Lamprid. *in Alex. Severo c.* 45. Capitol. *in Maxim. c.* 14.

SE-

SECTIO III.

DE

MAGISTRATIBUS ÆVI POSTERIORIS.

§. 1.

MUtantur Magiſtratus cum tempore: & alia cum nomina, tum officia ſortiuntur. Tertio chriſtianorum ſæculo, qui ſupremæ juriſdictioni in aula Cæſaris præerat, dictus eſt *magiſter ſcriniorum*; qui ferme erat, qui noſtri temporis cancellarius: cujus honoris exemplum in Ulpiano habemus apud Eutrop. *l.* VIII. *c.* 14. *n.* 3. Erant autem plura ſcrinia, ſeu, ut nunc vocantur, *cancellariæ*; epiſtolarum, memoriæ, libellorum, diſpoſitionum: de quibus videas, quæ Salmaſius *ad Lampridii Alexandrum Severum c.* 31., & nos ex ipſo *ad Sextum Rufum c.* 22. notavimus.

§. 2. Deinde erant *correctores Italiæ provinciarum*: id eſt, adjutores Cæſaris in provinciis Italiæ regundis. Hinc in *codice juſtinianeo*, *in notitia imperii*, *&* *inſcriptionibus antiquis* correctores Italiæ, Etruriæ, Lucaniæ, Calabriæ, Bruttiorum: rarius extra Italiam, ut Illyrici, Hiſtriæ, & Africæ memorantur. Quid quæ-

D 2 ris?

ris? Præſides erant, quos hodie gubernatores vocamus: unde Tetricus ex principe talis corrector Lucaniæ factus eſt, apud Eutrop. *l.* IX. *c.* 9. *n.* 6.

§. 3. Conſtantino M. imperante *præfecti prætorio* quatuor conſtituti ſunt, quibus ſumma in provinciis data eſt poteſtas. Primus erat Orientis: ſecundus Illyrici magni, quod omnem Græciam ſimul comprehendebat: tertius per Italiam, & Africam: quartus Galliarum, cui etiam Portugallia, & Hiſpania ſuberat. Et ad hoſce præfectos datæ plerunque leges ſunt in codice. Quando ergo plures provinciæ erant ſub uno præfecto: in ceteris, quibus ipſi non præſidebant, *vicarios* habebant.

§. 4. Sub vicariis erant minores, tamen etiam provinciarum *rectores*: quorum alii conſulares, alii præſides, alii comites; quidam duces, quod militiæ ſimul præerant, dicebantur. Cujus rei exempla plurima ſunt *in notitia imperii utriuſque*. Nimirum vicarius præfecti prætorio regebat certam diœceſin, quæ eſt plurium provinciarum adminiſtratio: ſub vicario autem erant ſingularum provinciarum rectores; qui diſtinguebantur pro magnitudine provinciarum, aut arbitrio Imperatoris in conſulares, correctores, comites, præſides. Atque hæc in provinciis.

§. 5. In aulam quoque nova officia, ſub iiſdem prope titulis, comitum maxime, introducta.

ducta. Sic *l.* 1. *eod.* leguntur tituli *de officio magiſtri officiorum: de officio comitis ſacrarum largitionum, comitis rerum privatarum, comitis ſacri palatii, comitis ſacri patrimonii*, cetera.

§. *6.* Honores etiam appellationum novo modo diſtribuebantur. Summus titulus erat *nobiliſſimatus*: qui tantum Cæſaribus, quatenus diſtincti ab Imperatoribus Auguſtis erant (ferme ut hodie Rex Germanorum ab Imperatore) & conſanguineis Imperatorum tribuebatur; & his quidem ex ſingulari Imperatoris indulgentia. Zoſ. *l.* 11. *c.* 39. *n.* 4. Ceteri, qui rempublicam regebant, dicti *clariſſimi, illuſtres, ſpectabiles, egregii, perfectiſſimi*. Sed tamen & hæc nomina cum diſcrimine dignitatum, & privilegiorum adhibebantur. Vide *not. imp.*

CAPUT III.

DE MILITIA ROMANA, EJUSQUE

SECTIO I.

DE DUCIBUS.

§. 1.

ARmis partum fuit Imperium Romanum, armis etiam conſervatum: nec vero his ſolis; ſed mores etiam, & leges, & æquitas adminiſtrationis, & literarum ſtudia in devictis gentibus excitata multum ad conſervationem attulerunt.

§. 2. Originem habet Romana militia a Regibus, Tullo Hoſtilio, & Tarquinio Priſco. Flor. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 2. *c.* 5. *n.* 5. Eutrop. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 1. *c.* 5. *n.* 9. Sub conſulibus in majus excrevit, & ordinatior etiam facta eſt.

§. 3. Tum regebant exercitum conſules: &, ſi pluribus locis pugnandum eſſet, prætoribus etiam ſummum imperium commiſſum fuit. Ex quo omnes ſummi duces *prætores* appellati aliquandiu: appellationis autem reliquiæ manſerunt

ſerunt perpetuo in cohorte prætoria, nave prætoria, & prætorianis Cæſarum militibus. In magnis periculis *dictator* exercitum regebat: cui ſubordinatus *magiſter equitum*, qui equitatui præfectus erat:

§. 4. Dividebantur rectores in *ſummum ducem*, & duces alios, qui *legati* dicebantur, pro numero legionum adſumti: unde etiam legati legionum poſtea appellati ſunt. Cic. *l.* VII. *ep.* 7. *n.* 6. *l.* I. *ep.* 7. *n.* 26. Svet. *Veſpaſ. c.* 4. Deinde erant *tribuni militum*, ferme ejus dignitatis, qua pollent, qui hodie nobis OBRISTEN, & Romanis inter ſocios *præfecti* vocabantur: ſub his *centuriones*, & primus ex illis dictus eſt *primipilus*, ſive qui primum pilum ducit, majore & poteſtate, & honore præditus, quam ceteri centuriones. Vid. Liv. *l.* XXXV. *c.* 5. Cic. *ad Att. l.* V. *ep.* 20. Cæſ. *de b. g. l.* II. *c.* 25. *n.* 1. Minores, qui erant in centuria, *ductores* tantum *ordinum* dicebantur: qualis in decuria erat *decanus*. Veget. *l.* II. *c.* 8. Summus autem dux non ſtatim *Imperator* dicebatur, ſed poſt victoriam ſalutatus ita ab exercitu. Cæſ. *de b. civ. l.* III. *c.* 71. *n.* 3. Finito bello, & triumpho ceſſabat titulus, ut etiam aliis bellis novus acquiri poſſet. Hinc legimus ſæpe: ITERUM IMPERATOR, SEXIES IMPERATOR, & VICIES de Auguſto *in inſcriptione*. Adde Cic. *l.* X. *ep.* 34. *&* 35.

SECTIO II.

DE LEGIONIBUS.

§. 1.

EXercitus Romanus dividebatur in legiones, & auxilia. Legiones robur erant exercituum: nomenque habent a legendo, id eſt, eligendo milites ex juventute Romana, quum Latini populi, & Itali nollent quondam milites dare. Hiſtoria eſt apud Livium *l.* VII. *c.* 25., & Eutrop. *l.* II. *c.* 3.

§. 2. Tum legio conſtabat quatuor millibus, & ducentis, in quibus ſoli ducenti equites erant. Liv. *c. l.*, & *l.* XXXVIII. *c.* 28. Bello punico autem ſecundo auctus numerus, ut quinque millia peditum, trecenti equites eſſent. Liv. *l.* XXII. *c.* 36. Tandem etiam ſex millia adſumta ſunt in legionem, præſertim a C. Mario, ut Feſtus auctor eſt: nec tamen unquam certus numerus fuit; ſed ſub Cæſaribus nunc majores, nunc minores legiones, pro ratione temporum, aut imperantium arbitrio.

§. 3. Quum vero augeretur, aut minueretur legio: per id numerus partium non mutatus; ſed quod Gellius *l.* XVI. *c.* 4. ex veteri auctore dicit; ſemper obſervatum fuit, ut in legione eſſent X. cohortes, XXX. manipuli,

LX.

LX. centuriæ. In numeroſiore legione cohortes etiam, & centuriæ erant pleniores: ſecus autem res ſe habebat, ſi intra quatuor millia militum conſtaret legio. Nam tum quidem *centuria* dicebatur, non autem centenarium numerum attingebat: ſic etiam *cohors* nunc major, nunc minor fuit, ut tamen plerumque cenſeatur quingentorum hominum. *Manipulus* duas centurias continebat: ſed ceſſavit poſtea nomen, unde raro ſignificationis ejus eſt mentio. *Contubernium* autem decem militum poſteriore tempore dicebatur manipulus: ut eſt apud Vegetium *l.* II. *c.* 13.

§. 4. Legiones, quod plures erant in imperio Romano, per numeros diſtinguebantur: ut eſſet prima, ſecunda, octava, decima quarta, viceſima, & ſic deinceps. Unde milites harum legionum primani, ſecundani, viceſimani apud Tacitum, alioſque dicuntur. Erant etiam quibuſdam certa virtutis cognomina; ut dicerentur victrices, adjutrices, geminæ, fulminatrix: aut a loco, cui præſidio fuerant, cognominabantur; ut melitene, germaniciana, aliæque plures.

§. 5. Equeſtris militia in *turmas* dividebatur, & in legione erant turmæ decem: unde ſi trecenti erant in legione equites, turma triginta equites continebat; ſin pauciores erant equites, minores etiam turmæ erant. Varro *de l. l.* IV. *c.* 16.

SE-

SECTIO III.

DE ARMIS.

§. 1.

ARma alia *levia* erant militum velitum, quæ inde *velitaria* etiam dicuntur, ut ſagittæ, & miſſilia tenuiora: alia *gravia*, in quibus præcipuum *pilum* fuit, proprium telum legionarii militis; quo late patens vulnus infligebatur, & quod ita jaciebant, ut amento, id eſt, loro adnexo retrahere ad ſe poſſent. Erat autem *pilum* haſta quatuor, & dimidii cubitorum: lignum tres cubitos habebat; ferrum totidem, ſed dimidia parte ligno adnexa. Summitas acuta ita erat, ut etiam eſſet quadrangula: ut ex Livii *l.* XXI. *c.* 8. apparet. De vulneribus pilo factis vide Florum *l.* II. *c.* 7. *n.* 9.

§. 2. Armis etiam tegumenta quædam corporis jungenda ſunt: ut lorica, ſcutum, parma, galea, & caſſis. *Lorica* a loris nomen habet, ex quibus complicatis olim fiebat: *thorax* etiam dicta, quia thoracem tegebat. Varro de *l. l. l.* IV., & Donat. ad *Virg. Aen. l.* X. *v.* 337. Poſtea ex lamina fiebat: cujus generis, quæ totum corpus contegebant, *clibani* dicebantur, & milites his armati, *clibanarii*, &

& *cataphracti*; quæ vero barbarorum potius orientalium, quam Romanorum armatura erat. Lampr. *in Alex. c.* 56. Amm. Marc. *l.* XVI. *c.* 16. Eutrop. *l.* VI. *c.* 7. *n.* 5. Loricæ etiam ex lana compacta, & ſtipata fiebant levitatis cauſſa, aut ex craſſo corio. Nep. *in Iphicr. c.* 1. *n.* 4. Svet. *in Galba c.* 19. Cæſ. *bell. gall. l.* III. *c.* 44. *n.* 7. Æneæ ſi loricæ eſſent, plerumque fuerunt ſquameæ, ideſt, hamulis inter ſe nexæ, agilitatis cauſſa; quales a Virgilio deſcribuntur *l.* V. *Aen. v.* 259., & *l.* XI. *v.* 487.

§. 3. *Scuti* forma oblonga erat, & productior *clypei* rotunda; quemadmodum ex Liv. *l.* XLIV. *c.* 33. Feſto, & Lipſio *de mil. rom. l.* III. *dial.* 2. diſcimus: *parma* itidem rotunda, & in omnes partes par a medio, ut Varro *de l. l. l.* IV. docet; tripedalis dicta Livio *l.* XXXVIII. *c.* 21. *Galea* ex pelle, aut corio fuit, *caſſis* e lamina; ut Iſidorus *l.* XVIII. *c.* diſtinguit: utraque tegendo capiti apta. Vide etiam Tac. *de Germ. c.* 6. *n.* 5.

SE-

SECTIO IV.

DE SIGNIS MILITARIBUS.

§. 1.

SIgno opus eſt militibus in itinere, & in præliis, quod adſpiciant, & quod ſequantur. Præcipuum ex his, & integræ legionis erat *aquila* argentea, haſtæ præfixa: cujus figuram in pluribus nummis expreſſam videmus. Vid. Cic. *cat.* I. *c.* 9., & Plin. *l.* x. *c.* 4. Qui gerebat aquilam, *aquilifer* dicebatur, Cæſ *de b. g. l.* v. *c.* 37. *n.* 5.

§. 3 *Vexillum* erat cohortium: & cohortis prætoriæ vexillum, quum proponebantur in caſtris, inſigne erat ad arma concurrendum eſſe; quod ex Cæſaris *l.* II. *de. b. g. c.* 20. *n.* I., & *l.* III. *de b. c. c.* 89. *n.* 4. conſtare poteſt.

§. 3. Poſteriori ævo, ſeu Conſtantinorum temporibus etiam *laborum* dictum fuit ſignum, cujus apud chriſtianos veteres ſcriptores multa mentio eſt. Vid. Prud. *in Symm. l.* I. *v.* 487.

SE-

SECTIO V.

DE MACHINIS POLIORCETICIS.

§. 1.

MAchinæ ſunt tormenta, quibus in oppugnationibus urbium utebantur. Tales erant aries, balliſta, catapulta, helepolis, turris rotata, & vinea.

§. 2. *Aries* fuit trabs longa, ferro grandi præfixa: quod olim figuram capitis arietini habebat, unde etiam nomen; poſtea ſimpliciter tantum acutum fuit. Hoc a militibus cum impetu agitato muros perforabant. Ioſeph. *de b. jud. l.* 111. *c.* 9.

§. 3. *Balliſta* machina erat; qua trabes ferratæ, ut tela arcu, excutiebantur: *catapulta* jaciebat molares lapides, ſicuti funda minores. Sic Cæſar diſtinguit de *b. c. l.* 11. *c.* 2. *& c.* 9. *n.* 3. Alius loquendi uſus erat atiquiorum: balliſtis lapides; & trabes catapultis tribuentium. Vid. Cic. *tuſc. l.* 11. *c.* 24., & Plaut. *capt. a.* 4. *ſc.* 2. *v.* 16. quos etiam poſt Cæſarem Tacitus, Seneca, aliique imitantur.

§. 4. *Helepolis* turris militaris genus fuit, poſteriori

ſteriori ævo ad expugnandas urbes inventum: cujus ſtructuram deſcripſit Ammianus in Juliani expeditione *l.* XXIII.. *c.* 5.

§. 5. *Turris rotata* ex ligneis contabulationibus conſtabat, ut altitudinem muri æquaret, vel ſuperaret, & rotis imponebatur, ut facilius ad muros admoveri poſſet. Si quid proximum acceſſum impediret, ponticulus ſuperiori parti adjunctus in murum demittebatur. Vid Liv. *l.* XXI. *c.* 11., & adde Curt. *l.* IV. *c.* 6. *n.* 9., *&* *l.* VIII. *c.* 10. *n.* 32.

§. 6. *Muſculus*, & *vinea* erant machinæ, quibus milites urbem oppugnantes tegebantur. Cæſ. *de b. c. l.* 11. *c.* 10. *c.* 2. *n.* 1., *& de b. g. l.* VII. *c.* 27. *n.* 2. *Pluteus* autem aſſeres ad milites a latere, vel fronte etiam defendendos: quamquam, & integræ machinæ ſic dictæ leguntur. Vid. Cæſ. *de b. g. l.* VII. *c.* 25. *n.* 1., *& de b. c. l.* 1. *c.* 25. *n.* 10. *l.* 11. *c.* 9. *n.* 5.

§. 7. *Teſtudo* ſequitur, hoc eſt, continuata ſcutorum inter ſe ſupra militum capita junctorum ſeries: qua tecti ſuccedere ad murum, aut invadere hoſtem, aut reppellere invadentem tuto poterant. Liv. *l.* XLIV. *c.* 9. *l.* XXXI. *c.* 39. Cæſ. *de b. g. l.* 11. *c.* 6. *n.* 2. Curt. *l.* V. *c.* 3. *n.* 9. 21. 23. Flor. *l.* III. *c.* 10. *n.* 13. Dio *l.* XLIX. *p.* 409. Inferiores autem ſcriptores teſtudinum nomine tanquam communi machinarum tegentium vocabulo utuntur, ut vineas etiam, &

alia

alia hujuſmodi comprehendant. De his ſingulis præclare agit, & accurate Lipſius in *poliorceticis*, *&* *de militia romana*.

§. 8: *Corona* ſupereſt, & *circumvallatio*, quibus urbes olim capiebantur. *Corona* erant milites circum urbem conſtituti ita, ut vir quaſi virum tangeret: ut nihil ingredi, nihil egredi invitis oppugnatoribus poſſet. Quod vero eruptiones timendæ erant: coronam non ſimplicem, ſed duplicem, ut una ſubſidio alteri eſſet; ſæpius etiam triplicem faciebant. Id dicunt hiſtorici, urbem corona capi: quod plerumque fiebat in tumultuaria, & feſtinata oppugatione. Exempla vide apud Cæſ. *de. b. g. l.* VII. *c.* 72. *n.* 2., & Liv. *l.* XLIII. *c.* 18. *Circumvallatione* vallum circa urbem erigebatur, quod diſtinctum multis turribus, & caſtellis erat, defenſionis cauſſa. Cæſ. *de b. g. l.* VII. *c.* 11. *n.* 1., & Cic. *l.* XV. *ep.* 4. *n.* 21.

SECTIO VI.

DE MILITIA NAVALI.

§. I.

NAvalis militia vim maximam in *roſtris* habebat, quæ ex ferro conſtabant. Olim hæc adunca erant inſtar roſtri avium, unde nomen hæſit: poſtea directa, & plerunque triſulca

ſulca, inſtar tridentis. Hoc ferrum magni ponderis præfixum proræ erat ex parte inferiore: unde, ſi navis remigio agitaretur in hoſtilem navem, perforari poterat, & deprimi. Cæſ. *de b. g. l.* III. *c.* 13. *n.* 8., & *de b. c. l.* III. *c.* 101. *n.* 2. Hirt. *de b. al. c.* 44. *n.* 4.

§. 2. Navibus utebantur veteres minoribus agilitatis cauſſa: ſed quod magnitudini deerat, multitudine ſupplebatur. Sic legimus bello punico I. utramque rempublicam, romanam, & carthaginenſem, claſſem habuiſſe ſingulas navium trecentarum, quadringentarum, & plurium. Eutro. *l.* II. *c.* 12. *n.* I. 4. 6.

§. 3. Bellicis his, ſive roſtratis navibus addebantur aliæ *onerariæ* ad commeatum, bellicumque apparatum advehendum. Liv. *l.* XXXII. *c.* 18., & Plut. *in Pompejo p.* 624.

§. 4. *Liburnæ* naves ex leviorum biremium genere erant: a Liburnis, populo Illyriæ, qui invener t, ita dictæ. App. Alex. *de b. civ. l.* II. *pag.* 452., & Eutro. *l.* II. *c.* 10. *n.* 9. Remis vero utebantur veteres plerunque, quoniam his opus eſt in mari mediterraneo, in quo malacia ſæpe, ſeu ventorum quies ſuboritur.

§. 5. Ceterum navis, quæ ducem ferebat, dicta fuit *prætoria*: quemadmodum milites navales, diſtincti a remigibus, vocabantur *claſſiarii.* Liv. *l.* XXXVII. *c.* 29. & Tac. *ann. l.* XV. *c.* 51. *n.* I.

SE-

SECTIO VII.

DE

PRAEMIIS MILITIAE.

§. I.

PRæmia vel militum erant ob rem bene geſtam, vel ſummorum ducum. Militum (etiam illorum, qui ordines ducebant) erant coronæ, & haſta pura: ſummorum ducum triumphus, aut ſigna triumphalia, etiam ſupplicationes.

§. 2. *Coronæ* varia erant genera, quæ Gellius *l.* v. *c. 6.* deſcribit. *Civica*, ex quernis ramis facta, dabatur militi, qui civem in prælio ſervaverat. Multa hujus coronæ exempla in nummis veteribus ſunt: etiam Julius Cæſar adoleſcens tali ornatus legitur apud Suet. *c.* 2. *Obſidionalis* erat ejus, qui urbem obſidione liberaverat, vel caſtra. Adde Gell. *l.* II. *c.* 11.: & Plin. *l.* XXII. *c.* 4. *Muralis* data ei, qui primus in murum hoſtilem adſcendiſſet. Exempla ſunt apud Liv. *l.* x. *c.* 46.: & *l.* XXVI. *c.* 48. Sil. *Ital. l.* XIII. *v.* 365. *Caſtrenſis*, quæ etiam *vallaris* dicitur, data ei fuit, qui primus in caſtra hoſtium irrupiſſet. Liv. *l.* x. *c.*46. *l.* XXX. *c.*28. Val. Max. *l.* I. *c.* 8. *ex.* 6. *Navalis* denique corona, ſeu *roſtrata*, a roſtris

navium ſic dicta, dabatur illi, qui primus navali prælio in hoſtilem navem tranſilierat: qualem Agrippæ, duci ſuo, Auguſtus dedit, quum Sextum Pompejum in mari ſiculo viciſſet. Plin. *l.* XVI. *c.* 4.: & Dio *l.* XLIX. *p.* 400.

§. 3. Maximum præmiorum, quo duces victores ornabantur, erat *triumphus* a ſenatu decretus: ubi victor cum ſuis extra urbem cum proconſulari poteſtate manebat (Latini dicunt *ad urbem* eſſe) uſque ad ſtatutum triumphi diem, quo præeunte ſenatu triumphalem portam ingreſſus, vectuſque curru, quem quatuor albi equi trahebant (cujus formam in nummis videmus), adſcendit in capitolium, ubi ſacris factis in templo Jovis capitolini publicæ epulæ per civitatem dabantur. Ante triumphalem currum fercula prædarum præferebantur, etiam imagines pictæ captarum urbium, & regionum. Proxime autem ante currum ibant captivi reges, duces, principes, manibus a tergo ligatis: qui ſi pejus de Romanis meriti fuiſſent, antequam in clivum capitolinum venirent, in tuſculanum carcerem abducti ſtrangulabantur. Liv. *l.* III. *c.* 29. *l.* V. *c.* 23. *&* *ep.* 67. Plut. *in P. Aemilio p.* 272. Cic. *in Piſ. c.* 25.

§. 4. Si victoria tam illuſtris non erat; nec tantus numerus cæſorum hoſtium, quantus ad triumphum requirebatur: tum *ovatio* tantum, quaſi minor triumphus, decreta fuit; in qua id differentiæ erat, quod triumphantes curru vehebantur, ovantes autem equo aut pedibus ibant.

Liv.

Liv. *l.* XXXI. *c.* 20. Vell. *l.* II. *c.* 96. *n.* 3., *&* *c.* 122. *n.* 2. Plut. *in M. Marcello p.* 310.

§. 5. Quum Cæſares rerum potirentur, ſibi ſolis eximium triumphi honorem rati conveniire, ducibus ſuis poſt victoriam tantum *inſignia* vel *ornamenta triumphalia* conferebant. Qui honor poſtea inter privatos fuit maximus, Suet. *in Aug. c.* 38. Tac. *in Agr. c.* 40. *n.* 1. *&* *ann. l.* 1. *c.* 72. *n.* 1.

§. 6. Triumpho adjungitur *ſupplicatio*: quæ etiam poſt victoriam decernebatur, & Catonis judicio *ad Cic. l.* XV. *ep.* 5. *n.* 4. vel ipſo triumpho erat clarior. Sed de hac jam ſupra *c.* 1. *ſ.* 3. *n.* 4. actum eſt *p.* 15.

§. 7. Ceterum de *triumpho in monte albano*, quem ii aliquoties citra ſenatus auctoritatem egerunt, quibus per invidiam hic honor negabatur, vide Livium *l.* XXX. *c.* 23. *l.* XLII. *c.* 21. : & de *depoſitione lauri* in gremio Jovis, quæ convenientiam cum triumpho habebat, & qua gratiæ quaſi actæ fuerunt pro conceſſa victoria, Suetonium in *Domit. c.* 6., & Plinium *pan. c.* 8. *n.* 3.

CAP. IV.
DE
CIVITATE ROMANA.
ejuſque
SECTIO I.
DE
JURE CIVIUM ROMANORUM.

§. I.

JUs Civitatis Romanæ fuiſſe maximæ, & ampliſſimæ dignitatis, tam ex ſacra Pauli Apoſtoli, qui bis ad illud provocavit tamquam civis: quam ex profana hiſtoria luculentum eſt. Sub regibus non quidem optimo jure cives utebantur, adſcitis in civitatem quibuſque peregrinis, etiam hoſtibus devictis. Cic. *pro Balbo c.* 13. Exactis regibus aucta civium dignitas: & brevi poſt ampliati honores, plebejo magiſtratu inducto. Crevit autem Romana civitas receptis peregrinis: quod inſolens apud Græcos erat; & Romæ maxime factum poſt ca-

ptam

ptam a Gallis urbem. Actum quidem aliquoties de peregrinis rejiciendis: ſed Cicero *l.* III. *off. c.* 11. inhumanum dixit. Nec peregrinis modo civitas, ſed ſervis etiam bene meritis aliquando ſimul cum libertate data fuit. Cic. *pro Balbo*, *c.* 9.

§. 2. Jus civitatis ſimpliciter *civitatem* appellant ſcriptores. Et hæc tum in aliis privilegiis, puta libertatis, ſuffragiorum, honorum; tum maxime in vinculorum, verberum, ac necis remotione, lege cornelia, & porcia, conſiſtebat: ut de jure teſtamenti, connubii, hereditatis, poteſtatis patriæ, & militiæ legionariæ taceamus. Vid. Cic. *pro Rab. c.* 4. Verr. VII. *c.* 66. Liv. *l.* X. *c.* 9. Act. XVI. *v.* 37., *& c.* XXII. *v.* 25.

§. 3. Civitas Romana adimi non poterat: niſi quis ſponte deſereret, ut in aliam reciperetur. Cic. *pro Cæc. c.* 33. 34. 35.: *& pro domo c.* 30. Nec exſilii pœna eam adimebat, nec interdictio ignis, & aquæ; quod ex eodem Ciceronis loco *pro domo* patet: niſi civis ſcriberetur in ea urbe, ubi exſulabat; non enim poterat aliquis Romæ, & alibi ſimul civis eſſe, quod exemplo *Attici* apud Nepotem *c.* 3. *n.* 1. conſtat, propterea oblatam ſibi ab Athenienſibus civitatem recuſantis.

§. 4. Amittebatur autem civitas: ſi quis ad ultimum ſupplicium damnatus eſſet, ſive in metalla, aut in inſulam deportatus. Vide *l.* VI. *ff. de interdictis, & relegatis*. In republica libera quidem graviſſima exſilii pœna erat interdictio

ignis, & aquæ: ſed his tamen plerumque civitas ſervata fuit, ut ex Cic. *pro domo c.* 30. conſtat; licet de ſua ætate Pomponius jureconſultus *l.* XVII. *ff. de legationibus* aliter ſentiat. At ſub Cæſaribus deportatio in inſulam graviſſimum exſilii genus habebatur: civitatem adimens, etiam bona, & fortunas. Vid. Ulp. *l.* VI. *ff. de interdictis, & relegatis, & deportatis*: & ibidem *l.* XIV., ubi deportationem a relegatione diſtinguit.

§. 5. Ut ergo breviter dicamus, civitas Romana tripliciter amittebatur: *exſilio graviore*, ſeu deportatione, de qua jam dictum; *poſtliminio*; quando, qui civis Romanus factus erat, in priſtina patria rurſus erat civis ſcriptus; *rejectione*, ſi quis ſponte in coloniam latinam proficiſcebatur. Cic. *pro Balbo c.* 12. *pro Cæc. c.* 33. Excipiendi tamen hic ſunt municipes Italiæ, quorum duplex patria erat: altera *loci*, in qua nati, cujus jura ſemper retinebant; altera *juris* id eſt, Roma, in cujus civitatem tranſcripti erant. Prior in legibus etiam origo vocatur, & originalis patria. Vide *l.* XXII. *ff. ad municipalem*, cetera.

§. *6.* Ad ea igitur, quæ in legibus dicuntur, recte intelligenda, diſtingui debent jus civitatis Romanæ, jus Quiritium, jus Latii, vel Latinorum, & jus Italicum, etiam jus municipiorum, coloniarum, & præfecturarum. Jus *civitatis* jam expoſuimus. Sequitur, ut de reliquis

etiam

etiam agamus: ſi prius de proletariis, & capite cenſis pauca adjecerimus.

§. 7. Sæpe fit mentio *proletariorum*, *& capite cenſorum* apud ſcriptores. Illi erant tenuiſſimi pauperrimique in plebe Romana: hi vero, qui vel nullo, aut perquam parvo ære cenſebantur. Utrique autem fuerunt cives, jura civitatis, ut ſunt connubii, teſtamenti, patriæ poteſtatis, cetera habentes: ſed ſine ſuffragio, & ſine ſpe honorum adipiſcendorum. Vid. Gell. *l.* xvi. *cap.* 10.

SECTIO II.

DE

JURE QUIRITIUM, LATII, ET ITALICO.

§. I.

Controverſia eſt inter eruditos de *jure Quiritium*, *& Latii*. Nimirum jus Quiritium quibuſdam eſt ipſum jus Latii: aliis idem, quod jus civitatis. Sed præferenda illorum ſententia, qui ab utroque diſtinguunt: ut majus, quam jus Latii; minus, quam jus civitatis. Vide Plin. *l.* x. *ep.* 4. *n.* 2. *cum nota noſtra; ep.* 6. *n.* 2. *ep.* 22. *n.* 1. *ep.* 105.: & Suet. *in Claudio c.* 19.

§. 2. *Jus Latii* medium erat inter jus civita-

tis Romanæ, & Italicum. Nam qui illud conſecutus erat, civis Romanus poterat fieri, ſi magiſtratum geſſiſſet domi, aut relicta domi ſtirpe Romam conceſſiſſet ad habitandum; ut de aliis privilegiis nunc taceamus. Vide Appian. Alex. *de bello civili l.* II. *p.* 443. Strab. *l.* IV. *p.* 186. Liv. *l.* XLI. *c.* 8. *& adde* Onuphr. Pannuin. *Imp. Rom. c.* 9.

§. 3. Manſit jus Latii etiam poſtea, quum Latini civitatem Romanam accepiſſent omnes. Sed tum apud exteros fuit, & coloniis pluribus datum a Cæſaribus. De quibus *ff. tot. tit.* 15. de cenſibus agitur.

§. 4. *Jus Italicum* erat quodammodo minus, ac deterius, quam jus Latii; majus tamen, & commodius jure provinciarum: quemadmodum Carolus Sigonius de antiquo jure Italiæ *l.* I. *c.* 21. demonſtrat. Acceperant illud a Romanis victoribus civitates Italiæ, extra Latium, & Galliam cisalpinam (quæ in provinciis cenſebatur) ſitæ, ante bellum ſociale, ſive Italicum: poſt quod tempus rarior illius mentio eſt.

SECTIO III.

DE

JURE MUNICIPIORUM, COLONIARUM, ET PRÆFECTURARUM.

§. I.

DIſtinguebantur municipia a coloniis: quemadmodum ab utriſque diverſæ erant præfecturæ.

§. 2. Ante bellum ſociale ſuo tantum jure utebantur *municipia*, ſeu Italiæ civitates; quod Italicum appellari conſuevit, quemadmodum paullo ante dictum eſt: tributum autem, & militem populo Romano dabant, ut Latini. Ac tum quidem jus civitatis erat penes ſolam urbem Romam. Indignabantur autem Latini, indignabantur omnes Itali, quod bellum pro Romanis facerent, nec tamen æqualibus uterentur privilegiis. Unde multæ ſeditiones: & tandem etiam bellum graviſſimum, quod ſociale, Italicum, & marſicum appellatur; quo Itali, deficientes ab urbe Romana, poſt mutuas clades tandem id conſecuti ſunt, ut, qui arma ponerent, jus civitatis obtinerent. Flor. *l.* III. *c.* 18. Liv. *ep.* 80. Vell. *l.* II. *c.* 16. Eutrop. *l.* V. *c.* 2. A quo tem-

tempore civitas, quæ lege Julia (L. Julii Cæſaris) teſte Cicerone *pro Balbo c.*21. jam antea data erat Latio, toti Italiæ conceſſa fuit: ceſſavitque hinc, quod toties in Livio, & apud Salluſtium legitur: *cives latini nominis, & ſocii.*

§. 3. Retinebant ergo municipia leges ſuas, & ſtatuta vetera: jus autem civitatis hac conditione impetraverunt, ut honores poſſent petere, ſeu munera capere in urbe Romana; unde etiam nomen ipſis hæſit, & factum, ut potiores urbes Italiæ municipia Italiæ ſint appellata. Ipſum autem jus, quo fruebantur, duplicis erat ordinis: cum ſuffragio, & ſine illo; uti ex Gellii *l.* XVI. *c.*13. apparet. Ceterum & hoc obſervandum hoc loco eſt, in jure Romano, & æqualibus libris ſæpe municipia vocari quaſvis civitates.

§. 4. Deinde lege plotia etiam peregrinis, qui in urbe quadam Italica cives ſcripti fuerant, jus Civitatis Romanæ certis conditionibus datum eſt: quod ex Cicerone *pro Archia c.* 4. conſtat.

§. 5. *Coloniæ* dicebantur oppida, in quæ populus Romanus cives ſuos ad habitandum deduxerat. Et harum conditio magis obnoxia erat, quoniam jura, inſtitutaque omnia Romana, non ſui arbitrii, habebant: quamquam potior exiſtimabatur, & præſtabilior propter amplitudinem, majeſtatemque Romani populi, cujus quaſi effigies parvæ, & ſimulacra quædam videbantur; uti Gellius loquitur *l.* XVI. *c.* 13. Erant autem duplices: vel *latinæ*, hoc eſt, cum jure Latii deductæ, ut Bono-

Bononia apud Liv. XXXVII. *c.*57.; vel *civium Romanorum*, apud eumdem *l.* XXXIX. *c.* 55.

§. 6. *Præfecturæ* erant oppida Italiæ: & quidem deterioris conditionis, quam municipia, & coloniæ. His enim præfectus quotannis Roma mittebatur, qui eas adminiſtraret, & jus diceret: ut adeo non longe abeſſent a provinciæ forma. Talis fuit Capua per annos plurimos, quod bello punico ſecundo ad Hannibalem defeciſſet. Liv. *l.* XXVI. *c.* 16. Cic. *cat.* 3. *c.* 2. Feſtus *in hoc vocabulo*.

SECTIO IV.

DE

COMMUNICATIONE CIVITATIS IN PROVINCIIS.

§. I.

SUcceſſu temporis migravit etiam civitas in provincias. Galliæ ciſalpinæ, præſertim ciſpadanæ (nam Gallia Italica in provinciis cenſebatur uſque ad Auguſti tempora) data civitas poſt Italiam, teſte Strabone *l.* V. *ineunte*. Tranſpadanæ primo datum jus Latii: Julius autem Cæſar addit civitatem. Dio Caſſ. *l.* XLI. *p.* 170.: & Aſcon. *in Piſonianam*. Hinc Gallia illa ciſalpina a veſtitu Romano dicta fuit togata.

§. 2. A Julii Cæſaris temporibus jus civitatis Ro-

Romanæ etiam provincialibus extra Italiam dari cœptum eſt: Gallis præſertim, Hiſpanis, & aliis; nec vero integris provinciis, ſed ſingulis hominibus, aut oppidis de Cæſare bene merentibus. Sueton. *in Cæſare c.* 24. & 42. Plura ex inſcriptionibus de Hiſpanorum municipiis adferri poſſunt. Sic uſque ad Antoninorum tempora civitas pluribus in diverſis provinciis fuit conceſſa: quibuſdam tantum jus Italiæ, ut apparet ex *l.* L. *ff. t.* 15. *de cenſibus*.

§. 3. Tandem *l.* XVII. *ff. de ſtatu hominum*, Ulpianus: *In orbe*, inquit, *Romano qui ſunt, ex conſtitutione Antonini cives Romani effecti ſunt.* Diſputari ſolet, quis ille Antoninus fuerit. Quidam Pium intelligunt: alii Marcum. Sed verior ſententia, eſſe Antoninum Caracallam: quia hæc conſtitutio non ut beneficium lata eſt, ſed ut fiſcus augeretur; & pater ipſius Severus dicitur apud Spartianum *c.* 1. natus ante civitatem omnibus datam.

§. 4. Nihilominus poſt Caracallam etiam memorantur nonnunquam in provinciis manſiſſe juris Italici: quod arguit, vel mutatam fuiſſe Caracallæ conſtitutionem; vel a quibuſdam non acceptum illud Antonini privilegium, contentis veteri, quo utebantur, jure Italiæ, quod immunitatem dabat, ſuffragia negabat, & honores in urbe capiendos.

CAP.

CAP. V.

DE PROVINCIIS ROMANORUM,

ejuſque

SECTIO I.

DE APPELLATIONE PROVINCIARUM.

§. I.

A *Vincendo* dicuntur provinciæ: quia bello adquiſitæ erant, ſive, ut Feſtus loquitur, a populo Romano provictæ, id eſt, ante victæ.

§. 2. Erant autem provinciæ omnes extra Italiam: niſi quod Gallia ciſalpina ſine circumſpadana ante Auguſti tempora etiam in provinciis fuit cenſa; ut clariſſime patet ex Cæſaris *civili bello*, & ex Ciceronis *philippicis*, *&* *epiſtolis l.* x., & xi.

SE-

SECTIO II.

DE

ADMINISTRATIONE PROVINCIARUM.

§. I.

ADminiſtratio provinciarum primum *prætoribus* committebatur, quos proprætores etiam dicebant: deinde *proconſulibus* quoque, quorum dignitas, & provincia major erat, quam prætorum. Liv. *l.* xxxii. *c.* 27., & Cic. *phil.* xi. *c.* 12.

§. 2. Quoniam autem inæquales erant provinciæ: & una opimior, quam altera: ſorte diſtribuebantur ad contentionem excludendam. Cic. *l.* 1. *ep.* 9. *n.* 74.: *&* *l.* viii. *ep.* 8. *n.* 21. Interdum ſine ſortitione de illis conveniebat inter præſides: quod *parare* Provincias, vel *comparare* dicebant. Cic. *l.* 1. *ep.* 9. *n.* 74., & Liv. *l.* xxxii. *c.* 8.: & *l.* xxxviii. *c.* 35.

§. 3. In provincia præſides omnia agebant more Romano, *forum* inſtituentes in præcipuis urbibus. Cic. *l.* iii. *ep.* 6. *n.* 8., *&* *Attic. l.* v. *ep. ultima*. Vocabant etiam *conventus juridicos*, quorum plures erant in una provincia, Plin. *l.* iii. *c.* 1. 2. 3. Habebant ſecum etiam cauſidicos

Ro-

Romanos: qualis erat Trebatius apud Cæſarem in Gallia, ad quem exſtant Ciceronis *epiſtolae l.* VII.

SECTIO III.

DE

DIVISIONE PROVINCIARUM.

§. I.

PRovinciæ aliæ erant *prætoriæ*; aliæ *conſulares*, quas proconſulares etiam dicebant; & rurſus aliæ *præſidales*, quæ accedebant ſub Cæſaribus: pro diſcrimine magiſtratuum, qui ad eas regendas a ſenatu, vel principe mittebantur. Cic. *l.* VIII. *ep.* 8. *n.* 21. *phil.* 1. *c.* 8., & Sext. Ruf. *c.* 4., *&* 5.

§. 2. Sed & alia provinciarum diviſio, ac diverſa pro diverſis temporibus obſervanda eſt. Alia enim ratio fuit liberæ reipublicæ ante Auguſtum Cæſarem: alia ſub Auguſto, & deinceps, quum Claudius præcipue, ac Trajanus aliquid adjeciſſent: alia etiam ſub Diocletiano, Conſtantino, ac ſequentibus, utpote qui novis ſubdiviſionibus multiplicarunt provincias. Et Juſtinianus aliquid mutavit: circa quæ tempora illæ diviſiones ortæ videntur, quæ in Eccleſia-

ſticis

ſticis occurrunt. Quod ut eo fiat clarius, exemplis quibuſdam demonſtrandum eſt.

§. 3. Inde a punicis bellis HISPANIA diviſa erat in *citeriorem*, *&* *ulteriorem*: quod Livius docet *l.*XXXII. *c.*28., & Cic. *pro leg.man.c.*12. Auguſtus autem Cæſar tres fecit Hiſpanias: *tarraconenſem*, quæ fere citerior fuerat; *bæticam*, & *luſitaniam*. Strabo *l.* XVII. *p.* 480., & Dio *l.* LIII. *p.* 503.

§. 4. GALLIA olim in tranſalpinam, & ciſalpinam diviſa fuit. Cic. *pro Mur.c.*41.: *&* *pro leg. man. c.* 12. *Ciſalpina* autem pars erat Italiæ. *Tranſalpina* etiam *comata* dicebatur, & pars Alpibus, atque Italiæ propior *braccata*: ciſalpina autem *togata* poſt ſociale bellum. Dio *l.* XLVI. *p.* 326., & Plin. *l.* III. *c.* 4. Tranſalpina Ciceroni quoque *ulterior* Gallia vocatur, ſive *ultima*; & ciſalpina *citerior* in *phil.*VII.*c.*1. & *de prov.conſ.c.*15.

§. 5. Julius Cæſar tranſalpinam in tres partes diviſit; *celticam*, *aquitanicam*, *&* *belgicam*: pars autem a Romanis jam olim obtenta κατ' ἐξοχὴν dicebatur *provincia*. Vide ejus *de b.g. l.* I.*c.* 1. *n.* 1.

§. 6. Auguſtus Cæſar quatuor conſtituit partes, prolatis etiam terminis Julii: *narbonenſem*, *lugdunenſem*, *aquitanicam*, *&* *belgicam*. Strabo *l.* IV. *p.* 177. In belgica autem poſtmodum duas ad Rhenum fecit provincias: appellavitque *Germaniam ſuperiorem*, *&* *inferiorem*, quia germanicæ gentes in illas regiones traductæ fuerant. Utramque dixerunt uno nomine *Germaniam ciſ-*

rhe-

rhenanam reſpectu Romanorum: ut tamen utraque ſic provincia manſerit pars Galliæ belgicæ. Dio *l.* LIII. *p.* 503., & Tac. *annal. l.* IV. *c.* 73. *n.* 1.

§. 7. Tandem Diocletiani, & Conſtantini tempore; quum novæ ubique ſubdiviſiones fierent, vel ſola Gallia XIV. provincias accepit. Vid. Sext. Ruf. *c.* 6.

§. 8. In GRÆCIA etiam provinciæ pro temporibus aliter, atque aliter ſunt diſtributæ. Olim erat *Græcia libera* diſtincta ab regnis *Macedoniæ*, & *Epiri*. Poſt bella Romanorum Macedonica, & Achaicum Romani duas ex univerſa Græcia provincias fecerunt: *Macedoniam*, quæ per proconſules regebatur; & *Achajam*, quo omnis Græcia libera continebatur, id eſt, Achaja propria, Peloponneſus, Attica, Bœotia, Locris, Phocis, Ætolia, Acarnania, & pars Epiri. Et hæc Græciæ diviſio valet etiam in novo teſtamento: ut Act. XIX. *v.* 21. Rom. XV. *v.* 26. 1. Theſs. 1. *v.* 7., & de Achaja ſola 2. Cor. 1. *v.* 1.

§. 9. In ASIA citeriore, quanta Romanis paruit, provinciæ erant *Aſia propria*, ſive *κατ' ἐξοχὴν* Aſia dicta, hoc eſt regnum Attalorum; quemadmodum id nomen ita acceptum habemus, Act. 11. *v.* 9., & Apoc. 1. *v.* 4., & 11.: item *Bithynia*, quæ aliquando proconſules habuit, etiam prætores, ſive proprætores, qualis Plinius minor erat conſulari poteſtate, uti ex ejus

l. x. *ep.* 77. noſtriſque ad eam notis conſtat: & *Cilicia*, provincia proconſularis, cujus proconſul ipſe Cicero fuit, & cui adjectæ tum erant tres ex Aſia diœceſes, in veteri Phrygia majori ſitæ; quemadmodum ex *l.* III. *ep.* 8. *n.* 15. *l.* XIII. *ep.* 67. *n.* 1., *& aliis utriuſque hujus libri epiſtolis* diſcimus.

§. 10. Syria etiam provincia Romanorum fuit: cujus multa mentio eſt in Ciceronis epiſtolis, & quam Lucas quoque memorat *c.* II. *v.* I.

§. 11. De Judæa provincia operæ quoque pretium eſt hic ex hiſtoria antiqua aliquid repetere. Nimirum illa regnum Archelai fuit, quem Matthæus nominat *c.* II. *v.* 22. : nec vero amplior, quam Judæa propria, & regio Samaritana; quoniam Galilæa, & Peræa a tetrarchis regebantur. Ejus autem præſides Pilatus, Feſtus, Felix, neque proconſules fuerunt, neque prætores, ſed, ut a Tacito *ann. l.* XII. *c.* 54. *n.* 6., *& l.* XV. *c.* 44. *n.* 4. denominantur, *procuratores* Cæſaris.

§. 12. Ad illuſtrandum præſens argumentum faciunt etiam illæ provinciæ, quas Imperatores quidam addiderunt. *Auguſtus* adjecit Pannonias, Ægyptum, Noricum, Rætiam, Vindeliciam, Germanias, id eſt, Germaniam ciſrhenanam in ſolo gallico ſitam, & alias. Dio *l.* XLIX. *p.* 413. 414. *l.* LIV. *p.* 534. 536. *l.* LIII. *p.* 503. Sext. Ruf. *c.* 7. Svet. *in Aug.* *c.* 18.

c. 18. 21. *Claudius* Britanniam, & Mauritanias. Eutrop. *l.* VII. *c.* 8. *n.* 3., & Dio *l.* LX. *p.* 670. 671. *Trajanus* Daciam, Aſſyriam, Arabiam, & plures. Eutrop. *l.* VIII. *c.* 2. Quaſdam ex his remiſit Adrianus: Daciam Aurelianus. Eutrop. *l.* VIII. *c.* 3. *n.* 3., *&* *l.* IX. *c.* 9. *n.* 10. Et ſic fere manſit uſque ad Diocletianum, & Conſtantinum: & tum numerus provinciarum per novas ſubdiviſiones mire auctus fuit. Vid. Sext. Ruf. *c.* 4. *ſeq.* Lact. *de mort. perſ. c.* 7. *n* 4., & Zoſ. *l.* II. *c.* 33.

§. 13. Tandem & illa provinciarum diviſio commemoranda eſt, quam Auguſtus novo modo inſtituit, ut & odium regni evitaret, & tamen ſummam potentiam teneret cum exercitibus. Pacatas enim, nec indigas præſidii reliquit ſenatui, & populo: quæ veteri more per proconſules, & proprætores cum quæſtoribus adminiſtrabantur. Limitaneas autem, & alias, quibus opus erat militari præſidio, ſibi reſervavit. Et hæ dicebantur provinciæ Cæſaris, vel Principis: quemadmodum is, qui pro Cæſare regebat eas, non proconſul, nec proprætor, ſed legatus Principis, vel Cæſaris appellatus fuit. Pro quæſtoribus autem erant ibi procuratores Cæſaris, qui reditus curabant: niſi quod in minoribus provinciis, ut Judæa erat, etiam juriſdictionem habebant. Vide ſupra *c.* 11. *ſect.* 11. *n.* VIII., *&* IX. *p.* 42., *&* 43.

CAPUT VI.
DE JUDICIIS ROMANORUM,
EJUSQUE
SECTIO I.
DE JUDICIBUS.

§. I.

JUdicia antiquitus penes reges erant, & his expulſis primi quoque conſules exercebant. Poſt creſcente republica, quum conſules omnibus negotiis non ſufficerent: duo prætores ſunt creati, qui privatarum rerum judiciis præeſſent; conſules autem curarent publica. Prætorum alius erat *urbanus*, ſeu urbis, alter *peregrinus*: ille inter cives, & cives jus dicebat; hic inter peregrinos, & cives, aut peregrinos ſolos, Romano tamen imperio ſubjectos. Plures poſtmodum prætores creati: ſed provinciarum, qui pro conſulibus in provinciis jus dicerent. Circa ſullana tempora auctæ ſunt quæſtiones; & ob id prætorum etiam numerus auctus, qui in urbe manerent; ut tamen

unus

unus præcipue prætor urbis, ſeu urbanus vocaretur. Vid. ſupra *c.* 11. *ſect.* 1. *n.* v. *p.* 29.

§. 2. *Prætor* erat præſes judicii: adſeſſores ejus dicebantur *judices*, quorum magnus erat numerus præſertim in *centumvirali judicio*, quod ita a numero rotundo vocabatur; quamvis centum quinque ordinario modo, & Feſto auctore ſæpe plures eſſent. De qua re ad Plinii *l.* 1. *ep.* 5. *n.* 4. plura diximus.

§. 3. Non autem erant judices perpetui: ſed ſorte legebantur ad certam aliquam cauſſam, ne pars litigantium poſſet ſuſpectos habere. Cic. *pro Mil. c.* 16. Iidem etiam jure jurando adſtricti erant ad ſincere judicandum. Meminit jurisjurandi ejus Cicero *pro Roſcio amer. c.* 3., & Aſconius *in Verr.* 11., ubi etiam de ſortitione judicum, & ſubſortitione agit, ſi quidam fuiſſent a reo, aut accuſatore rejecti.

§. 4. Judices pro temporum diverſitate ex diverſis ordinibus lecti. Cajus Graccus judicia ſenatui ademta equitibus dederat: Sulla poſt quadraginta annos ſolis Senatoribus. Poſt decem autem annos Aurelius Cotta legem tulit, ut ſenatores, & equites romani, ac tribuni ærarii (hi plebem repræſentabant) ſimul judicarent, atque judicium conflarent ex omnibus tribus ordinibus. Plut. *in Gracco p.* 837. Appian. *de b. civ. l.* 1. *p.* 363. & Aſcon. *in c.* 3. *div. verr.* Atque ita manſit per Ciceronis tempora: quod ex miloniana ejus *c.* 2,

& ex *l.* II. *ad Quintum fr. ep* 8. *ſub finem* conſtat. *Senatorum*, inquit, *urna copioſe abſolvit: equitum adæquavit: tribuni ærarii condemnarunt*. Ex quibus ſimul videmus, non promiſcuos, ſed ſingulos ordines ſeparatim in judicio ſediſſe. Tandem Juljus Cæſar ſolis ſenatoribus judicia mandavit. Dio *l.* XLIII. *p.* 226.

§. 5. Sententiæ judicum a quolibet in tabella ſcribebantur paucis litteris; in quibus A. abſolutionis nota erat, C. condemnationis: ſi autem cauſſa nondum eſſet liquida, ſcribebant N. L., id eſt, *non liquet*; quæ nota ampliationis dicebatur. Aſcon. *in Verr.* I. *c.* 7. De urna paullo ante ex Cicerone diximus. Et hæc de *judicibus*.

SECTIO II.

DE

LOCO JUDICIORUM.

§. I.

LOcus judiciorum erat forum: ut omnes poſſent audire, quæ judicarentur. *Centumviralia* autem *judicia*, quæ cauſſas minoris momenti, ut teſtamentorum, hereditatum, & ſimiles habebant (quemadmodum ex Cic. *l.* I. *de*

1. *de orat. c.* 38. conſtat) & quadrupliciter diviſa erant, exercebantur in baſilica Julia; ut notis ad Plin. *l.* 1. *ep.* 18. *n.* 3. probavimus; quibus adde ea, quæ dicta ſunt ad *l.* 1. *ep.* 5. *n.* 4. Vix autem dubium, quin baſilica illa in foro fuerit. Hinc actiones, & cauſſæ forenſes appellantur.

§. 2. Erant præterea judicia, quæ in ſenatu agebantur; graviora ſcilicet, & publica provinciarum, quando proconſules, aut proprætores a provinciis, quas male rexerant, accuſabantur: & in his poſteriore tempore ſæpe Cæſares præſidebant. Plin. *l.* II. *ep.* II. *n.* 9. 10., *&* *l.* III. *ep.* 9. *n.* 21., *&* 23. Etiam alia interdum judicia Cæſares ad ſe in aulam traxerunt. Plin. *l.* VI. *ep.* 31. *n.* 1.

SECTIO III.

DE ACCUSATORE, ET REO.

§. I.

Accuſator in una cauſſa non ſemper unus erat, ſed poterant plures eſſe: contra reo etiam permiſſum, plures adhibere defenſores. Ut vero ſinguli ſingulas haberent orationes; quod maxime in gravioribus cauſſis

 fiebat,

fiebat, præſertim iis, quæ in ſenatu agebantur, ut ex Plinii *l.* II. *ep.* II. apparet: præſcriptum tempus erat, quot horis uteretur quiſque ad dicendum; ideoque clepſydra adhibita in judicio, quæ tempus definiret, Plin *l.* I. *ep.* 23. *n.* 2., & *l.* VI. *ep.* 5. *n.* 5. 7.

§. 2. Hi accuſatores, & defenſores dicebantur *cauſſidici*, *patroni cauſſarum*, & ſi illuſtriores eſſent, *oratores*: non autem *advocati*; qui amici erant reorum, rogati, ut reis in judicio tantum præſentia ſua adeſſent, quorum gratia judices moverentur. *Advocationes* autem erant mora, & tempus, quod a judice petebant, dum amicos advocarent. Vide, quæ ad Cic. *l.* VII. *ep.* II. *n.* I. notavimus. Poſtea quum ex advocatis talibus quidam etiam defenderent reum: factum eſt, ut advocatorum nomen etiam cauſſidicis tribueretur; quod Ulpianus tradit *l.* I. §. 10. *ff. de extraordinariis cognitionibus*.

§. 3. *Rei* ſunt accuſati: qui non modo de cauſſidicis, & defenſoribus ſolliciti erant, & amicos advocabant; verum etiam laudatores quærebant. De laudatione reorum vide, quæ ad Cic. *l.* I. *ep.* 9. *n.* 8., & 13. notavimus: & adde Aſcon. *pro Scauro ſub finem*. *Laudaverunt*, inquit, *Scaurum conſulares novem: horum magna pars per tabulas laudaverunt, quia aberant*.

§. 4. Habitus reorum erat ſqualidus, adjunctis lacrymis, ut judices ad miſericordiam moverent. Cic. *poſt red. ad Quirites c.* 3. *pro Lig. c.* II., & Gell. *l.* III. *c.* 4.

SE-

SECTIO IV.

DE LEGIBUS.

§. 1.

MAgna amplitudo vocabuli legis eſt, & latinis auctoribus varia ſignificat. Proprie dicta lex, ut Atejus Capito apud Gellium *l.* x. *c.* 20. definit, eſt generale juſſum populi, aut plebis rogante magiſtratu. Dum dicit *generale*; vult omnes lege obligari debere. Atque ita lex manilia, quam Cicero oratione defendit, proprie lex non erat, ſed potius privilegium: quia de uno Pompejo agebat. Dum addit *rogante magiſtratu*, conſenſum ordinum requirit: quia nec conſul, neque alius magiſtratus poterat legem ferre inſciente, ac invito populo. Magiſtratus ergo, conſules, tribuni, quod legis habere vim volebant, retulerunt ad populum: interrogantes, an velint, jubeant hoc ita fieri. Hinc leges dictæ *rogationes*, id eſt, interrogationes populi: de quibus Gellius *dicto loco* conſulatur.

§. 2. Nata exinde eſt diſtinctio inter *legem propriam*, quæ ad jus civile referenda eſt; & inter *impropriam*, de ſingulorum honore, vel juribus: item inter *legem*, ſenatus conſultum, & plebiſcitum, etiam populiſcitum, quod nomen apud

Nep.

Nep. *in Alcib. c.* 5. *n.* 4., & Epam. *c.* 7. *n.* 4. occurrit.

§. 3. *Senatus conſultum* decretum erat a ſenatu factum, plerunque in publica cauſſa: quum leges propriæ agant de cauſſis privatorum. Duplex modus erat faciendi ſenatus conſultum. Præcipuus fiebat per diſceſſionem, qua in diverſas ſententias ibant ſenatores. Hirt. *de b. g. l.* VIII. *c.* 52. Alter modus, ſed minus frequens, conſiſtebat in exquirendis ſententiis: ubi conſul ab illuſtrioribus ſententiam, quid fieri vellent, exigebat. Gell. *l.* XIV. *c.* 7. Quum ſenatus conſultum ſcriberetur, quod plerunque unius hominis honorem reſpiciebat: amici, & fautores illius, ſi ſenatores eſſent, aut quicumque volebant ex ſenatu, ſcibendo aderant; eorumque nomina ipſi ſenatus conſulto inſerebantur. Exempla habes apud Cic. *l.* VIII. ep. 8. *n.* 12. 15. *& l.* XV. *ep.* 6. *n.* 7. 8. Quod autem de iis plebs non rogabatur: proprie loquendo leges non erant; certo modo autem vim legis habuerunt. Ceterum diſtinguuntur in jure ſecundum auctorum nomina, qui primi de re, vel argumento ad ſenatum retulerunt. Hinc in digeſtis memorantur ſenatus conſulta Tertullianum, Trebellianum, Macedonianum, Sillanianum, Claudianum, Turpillianum, Vellejanum, cetera.

§. 4. *Plebiſcitum* ſequitur. Eſt autem ſcitum aliquod ſtatutum: & inde plebiſcita, ut Pompejus Feſtus definit, appellantur ea, quæ plebs

plebs ſuo ſuffragio ſine patribus juſſit, plebejo magiſtratu rogante. Gellius *l.* xv. *c.* 27. ex Lælio Felice hæc allegat: *Ne leges quidem proprie, ſed plebiſcita appellantur, quæ tribunis plebis ferentibus accepta ſunt; quibus rogationibus patricii ante non tenebantur, donec Q. Hortenſius dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur*. Vide plura *l.* 11. §. 8. *ff. de O. I. & legis*; ubi occaſio plebiſcitorum explicatur, & legis hortenſiæ ſimul fit mentio, & cauſſa, cur tradita ſit, adjicitur hiſce verbis: *Quia multæ diſcordiæ naſcebantur de his plebiſcitis, pro legibus placuit & ea obſervari lege hortenſia; & ita factum eſt, ut inter plebiſcita, & legem ſpecies conſtituendi intereſſent, poteſtas autem eadem eſſet*. Hinc vis obligandi univerſum populum etiam plebiſcitis data. Quod vero ante legem hortenſiam plebiſcita patricios non obligarent, nec pro lege haberentur: hoc exinde fuit, quia inſciente, aut invito ſenatu fuerant facta. Ad legem autem propriam requirebatur, ut quamlibet a tribuno, plebejo magiſtratu, rogata eſſet: ſenatui tamen etiam, antequam confirmaretur, ad conſentiendum proponi, & exhiberi deberet.

§. 5. *Populiſcitum* in ſe plus eſt, quam plebiſcitum: & vix differt a lege propria, quia populus omnes tres ordines comprehendit.

Plebs

Plebs autem ordo unus eſt: ſaltem ſenatorium excludit. Gell. *l.* xx. *c.* 10.

§. 6. *Rogationes* ſæpe pro legibus ponuntur apud Ciceronem, & Gellium *l.* x. *c.* 20. Ratio hæc eſt, quia olim leges magiſtratu rogante ferebantur: an plebs, aut populus velit, jubeat, hoc, vel illud ita fieri. Cauſſa erat, quia in libera republica ſumma poteſtas magis apud populum, quam apud ſenatum fuit. Poſtea autem ſub Cæſaribus mutata legum conſuetudo, principibus ſummam poteſtatem a populo ad ſe revocantibus. Hinc pleræque leges in digeſtis, & in codice ab Imperatoribus dicuntur latæ ſine mentione populi, cujus jam poteſtas exſpiraverat.

§. 7. Ceterum quoniam de legibus agere cœpimus: non alienum a re erit, hiſtoriam etiam, atque rationem legum in libera republica, aut non longe poſt mutatam eandem latarum paucis explicare. Regum enim leges erant imperfectæ; ideoque ſenatus Solonis leges petiit ab Athenienſibus, quæ ad ſtatum Romanum reformatæ a decemviris x. tabulis conſcribebantur pro numero decemvirorum. Sequenti anno, quæ deeſſe videbantur, ſuppleta ſunt tabulis duabus, ut xii. fierent: qui fons eſt juris Romani, quo hodieque utimur; quamquam earum ſola fragmenta ſuperſunt. Vide Livium *l.* iii. *c.* 34.

§. 8. Creſcente republica creſcebant etiam de-

delicta, & quæſtiones: inde novæ leges latæ, quia ex XII. tabulis non omnes caſus poterant dijudicari. Ex his potiſſimum eas, ſaltem præcipuas earum memoramus, quæ apud Ciceronem occurrunt: quaſdam etiam ex digeſtis, ſive pandectis adjicimus. Pleræque autem ab auctoribus denominantur: nonnullæ etiam a materia.

§ 9. Ab auctore nomen habent apud Ciceronem Lex *Acilia*, repetundarum: *Æbutia*, de curatione, & poteſtate mandanda: *Ælia*, *&* *Fuſia*, de jure comitiorum: *Æmilia*, ſumtuaria: *Appuleja*, de coloniis, de majeſtate; & alia ejuſdem frumentaria: *Aurelia*; judiciaria: *Cæcilia Didia*, de legibus ferendis: *Calpurnia*, de ambitu; & alia repetundarum: *Caſſiæ*, agraria, de damnatis; & alia tabellaria de judiciis: *Cincia* de donis, & muneribus: *Clodia*, frumentaria: *Cœlia*, de ſuffragiis; *Corneliæ* plures, teſtamentaria: nummaria, de infamia, de legatis provincialium magiſtratuum, de magiſtratibus, de majeſtate, de municipiis, de proſcriptione, de provinciarum rectoribus: *Curia*, de auctoritate patrum: *Domitia*, de ſacerdotiis: *Fabia*, de numero ſectatorum: *Flaminia*, agraria: *Flavia*, agraria: *Furia*, de teſtamentis: *Gabinia*, de legatis: *Gellia Cornelia*, de civibus: *Hirtia*, de Pompejanis: *Juliæ*, de legationibus liberis, de provinciis, de repetundis pecuniis, de ſacerdotiis:

tiis: *Junia*, de peregrinis urbe ejiciendis: *Lætoria*, de tutelis: *Liciniæ*, de curatione, & poteſtate mandanda, de ſacerdotum electione, de ſodalitiis: *Licinia Mucia*, de civibus regundis: *Mænia*, de magiſtratibus: *Manilia*, de libertinorum ſuffragiis: *Mariæ*, de nummis, de ſuffragiis: *Octavia*, frumentaria: *Papiæ*, de civitate, de peregrinis: *Papiriæ*, de conſecratione, & alia tabellaria de legibus: *Plotia*, de vi: *Pompejæ*, de ambitu, de judicibus: *Porcia*, pro tergo, & vita civium: *Pupia*, de ſenatu comitialibus diebus non habendo: *Remmia*, de calumniatoribus: *Roſcia*, theatralis: *Rupilia*, de judicibus ſortito dandis: *Scantinia*, contra impudicos: *Semproniæ*, agraria, frumentaria, de capite civium Romanorum, de provinciis: *Serviliæ*, de civitate, de judicibus, de repetundis: *Terentia Caſſia*, frumentaria: *Thoria*, de vectigalibus: *Tullia*, de ambitu: *Valeria*, de tyrannide Sullæ: *Varia*, de majeſtate: *Vaticiniæ*, de alternis conſiliis, de provinciis: *Voconia*, de hereditatibus feminarum: & aliæ plures.

§. 10. In pandectis memorantur *Aquilia*, de damno injuriæ: *Atinia*, de uſucapione: *Corneliæ*, de falſo, de injuriis, de luſu, de ſicariis, & veneficis: *Fabia*, de plagiariis: *Falcidia*, teſtamentaria: *Glicia*, de inofficioſo teſtamento: *Hortenſia*, de plebiſcitis: *Juliæ*, de ambitu, de annona, de maritandis ordinibus,

de

de peculatu, de repetundis, de reſiduis, de vi privata, de vi publica: *Junia Vellea*, de teſtamentis: *Papia Poppæa*, de connubiis: *Petronia*, de ſervis: *Pompeja*, de parricidis: *Plautia*, de vi: *Scribonia*, de luſitanis, & aliæ.

§. 11. Quædam leges, quamvis auctores non ignoti eſſent, a materia denominabantur. Tales ſunt LEGES *agrariæ* multæ, de agris populi dividundis; quæ ſæpe cauſſæ tumultus exſtiterunt: *annales*, ſive annariæ, quæ magiſtratui certam ætatem præſcribebant: *frumentariæ*, variorum, *ſumtuariæ*, quibus luxuria conviviorum prohibebatur: *tabellariæ*, de dicendis ſententiis, & ſuffragiis ferendis per tabellas: *viceſimarum*, de vectigali viceſimæ: & ſimiles.

§. 12. Poſteriorum Cæſarum leges ex digeſtis, codice, & novellis notæ ſunt. De *edicto prætoris* tantum pauca hic adjungimus. Qui enim judiciis ordinariis in foro habitis præerat prætor urbanus: ſub initium muneris ſui in albo ſcripta edicta proponebat ſupplendi juris civilis cauſſa, ſecundum quæ jus per annum ſuum dicturus eſſet. Addebat etiam certas formulas, quibus diebus, & qua ratione ac modo, a partibus etiam obſervando, id eſſet facturus. Hinc, quidquid juſſit prætor, *edictum* poſtea vocabatur: & frequens in jure vox eſt, *prætor edicit.* Si prætor edictum anteceſſoris retinebat, vocabatur *edictum tralaticium.*

laticium. Tandem Hadriani tempore Salvius Julianus jureconſultus compoſuit *edictum perpetuum*: quod prætores obſervarent, nec mutarent edicta annis ſingulis. Hujus fragmenta ſatis copioſa ſuperſunt, a diverſis edita: de quibus intelligimus, qualia fuerint edicta prætorum. De auctore hujus edicti vide Eutropium *l.* VIII. *c.* 9.

CAP. VII.

DE

ORDINIBUS ROMANORUM.

ejuſque

SECTIO I.

DE

ORDINE SENATORIO.

§. I.

POpulus Romanus in tres ordines fuit diviſus: ſenatorium, equeſtrem, & plebejum. Deſingulis nunc breviter exponemus.

§. 2. Senatus dictus eſt a ſenibus, qui ſoli ob ſenilem prudentiam in eum legebantur: inde etiam *patres* appellati, & in adlocutionibus *patres conſcripti*. Salluſt. *de b. cat. c.6.*, & Flor. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 15.

§. 3. Origo ab Romulo eſt, qui centum ſenes conſultationum adjutores legit. Liv. *l.* 1. *c.* 8. Tarquinius Priſcus addidit alios centum: quia civitas nunc auctior erat; & plures, qui dignitatem illam tueri poſſent. Nihilominus

G hi

hi poſteriores minorum gentium ſunt appellati. Liv. *l.* 1. *c.* 35. Pulſis regibus primi conſules, ut interfectorum a Tarquinio Superbo numerum ſupplerent, ſimulque augerent ordinem, trecentorum ſenatum fecerunt: teſte Livio *l.* II. *c.* I. Sic Latini tradiderunt. Dionyſius Halicarnaſſeus *l.* II. *p.* 85., *&* 111. Romulum bis legiſſe centum ſenatores refert, quem clari quidem viri ſequuntur: quod autem in tanto Latinorum ſilentio non eſt admittendum.

§. 4. Trecentorum numerus manſit uſque ad Sullæ tempora. Appian. Alex. *b. civ. l.* I. *p.* 413. Et licet non conſtet, quantum numerum fecerit: probabile tamen eſt, ſupra quadringentos fuiſſe; quod ita ad Ciceronis tempora ſervatum fuit, ut ex *l.* I. *ad Att. ep.* 14. colligitur. Julius Cæſar nimium auxit numerum: & quidem ad nongentos uſque, ut Dio Caſs. *l.* XLIII. *p.* 237. refert; vel ad millenos, ut Suetonius habet in *Auguſto c.* 35. In quibus quod multi indigniſſimi eſſent (nam peregrinos etiam ex Gallia, & aliunde in curiam introduxerat): Auguſtus ad priſtinum numerum, & ſplendorem, qui ante civile bellum fuerat, redegit; aut paullo majorem eſſe permiſit, ut tamen numerus intra ſexcenteſimum conſiſteret. Dio *l.* LIV. *p.* 530. Poſteriores Cæſares auxerunt aliquando: ut tamen non facile plures, quam ſenatores eſſent.

§. 5. Legebantur ſenatores ordinario modo a cenſoribus ex ordine equeſtri, unde pri-

mi

mi conſules ſupplementum fecerunt apud Livium *l.* II. *c.* I. : cui adde *l.* IX. *c.* 29. : & *l.* XXIII. *c.* 23. Nec vero plebejis ſenatus omnino clauſus erat: quod infra de conſulibus plebeiis, & tribunis in plebejo ordine oſtendemus.

§. 6. In prima republica non cenſu, ſed morum integritate fiebant ſenatores: unde de Valerio Publicola, primi poſt ejectos reges anni conſule, annales tradunt, adeo pauperem mortuum eſſe, ut collatis a populo nummis ſumtum habuerit ſepulturæ. Vid. Eutrop. *l.* I. *c.* 10. *n.* 4. Poſtea dignitatis ſervandæ cauſſa ſenatoribus etiam cenſus fuit definitus: ut, qui infra illum poſſideret, non poſſet ſenator fieri. Cenſus erat duplo major, quam equeſtris ordinis, quem Auguſtus Cæſar auxerat. Suetonius *in Auguſto c.* 41. hoc docet. *Senatorum*, inquit, *cenſum ampliavit, ac pro octingentorum millium ſumma duodecies ſeſtertium taxavit, ſupplevitque non habentibus*. Suppuntandi hanc rationem infra de re nummaria Romanorum explicabimus. Vide interim, quæ ad Plinii *l.* I. *ep.* 19. *nu.* 2. notavimus.

§. 7. Senatores ab equitibus, & plebejis etiam veſtitu diſtincti erant. Ille tunica erat laticlavia, ſeu latus clavus. Unde latum clavum accipere eſt ſenatorem fieri. Sic Tiberius ſenatori latum clavum ademiſſe dicitur apud Suet. *c.* 35., hoc eſt, ex ſenatu moviſſe. Plinius *l.* 35. *c.* I. ſic ordines diſtinguit. *Annuli*, inquit,

diſtinxerunt alterum ordinem a plebe: ſicut tunica ab annulis ſenatum tantum.

§. 8. Senatorum erat *ſententias dicere*, quæ barbare *vota* appellant: ſicut populi in comitiis *ferre ſuffragia*. Nec vero omnes rogabantur, ſed tantum principes: hoc eſt, ſi ſub finem anni erat, conſules deſignati; deinde aut his nondum deſignatis princeps ſenatus a cenſoribus lectus; porro qui in magiſtratu erant, quemadmodum in catilinaria cauſſa Cicero conſul poſt Sillanum deſignatum conſulem rogavit Julium Cæſarem tum prætorem. Liv. *l.* xxxvi. *c.* 3., & Salluſt. *de b. c. c.* 50. *ſeq.* Tribuni poterant etiam non rogati interloqui, ſuamque dicere ſententiam. Cæſ. *de b. c. l.*1. *c.*2.*n.*8.

§. 9. Arbitrii ergo erat conſulis, præter primos rogare, quos vellet: nec in primis ſemper ordinem, niſi in deſignato conſule, ſervaſſe ſtrictim videtur. Unde Suetonius *in Cæſare c.* 21. refert, quem ordinem calendis Januariis tenuiſſet, eum per totum annum ſervaſſe. Rogabat autem ſententias conſul, tamquam director ſenatus: nec vero multos rogabat, ſed poſtquam duæ vel tres dictæ fuerant, reliqui ſenatores diſceſſione facta ad hunc vel illum, qui dixerat ſententiam, ſe conferebant, acceſſu ſuo illam confirmantes. Hinc eſt nota formula, *ire in ſententiam alicujus:* apud Liv. *l.* i. *c.* 32. *l.* v. *c.*29. Cic. *l.* 1. *ep.*2.*n.* 4. atque alios. Unde minoris ordinis ſenatores, qui numquam

dice-

dicebant ſententiam, ſed ſententiæ alterius accedebant, dicti fuere *pedarii*: ut eſt apud Gellium *l.* III. *c.* 18. Quod vocabulum aliquid ignominiæ videtur habere: res ipſas vero, *ire in ſententiam alterius*, per ſe non erat ignominioſa; ſed recepta in pleriſque faciendis ſenatusconſultis, quæ per diſceſſionem fiebant, de quibus ſupra dictum *c.* VI. *ſ.* IV. §. 3. *p.* 77.

§. 10. A ſenatus conſulto fiutem differebat *ſenatus auctoritas*. Quum enim infrequentior juſto ſenatus eſſet, aut tribuni plebis interceſſiſſent: ſenatus conſultum non poterat fieri; ſed ſenatus auctoritas tantum perſcribi ſolebat, & de ea ad ſenatum populumque referri. Cic. *l.* I. *ep.* 2. *n.* 11. *ep.* 7. *n.* 8.: *&* *l.* VIII. *ep.* 8. *n.* 12. 17. 20. 23.

§. 11. Qui conſultabant, & ſententiam dicebant ſenatores, proprio verbo *cenſere* dicebantur. Plin. *l.* II. *ep.* 11. *n.* 21. *l.* V. *ep.* 14. *n.* 6. Suet. *in Cal. c.* 59. *&* *Claud. c.* 6. In decretis faciendis dicebant: *Placet*, aut *non placet*, ſcilicet ſenatui. Liv. *l.* XXIII. *c.* 25., & Suet. *de cl. rhet. c.* 1.

§. 12. *Curia* vocabatur vulgo locus ſenatus habendi: & memorabilis eſt curia *hoſtilia* ſub regibus. Cic. *de fin. l.* V. *c.* 1. Qua incendio deleta, Sulla eodem loco inſtaurare illam, & poſt eum etiam Cæſar voluit: ſed fato præventi id opus reliquerunt Auguſto, qui *juliam* nominavit. Dio *l.* XL. *p.* 143. 144. *l.* XLIV. *p.* 242. *l.* XLVII. *p.* 338., & Suet. *in Cal. c.* 59. Laudatur etiam *Pompeii curia*, in qua Julius Cæſar fuit interfectus.

Suet. *in Cæſ. c.* 80., & 88. Cic. *de div. l.* II. *c.* 9. Quod vero hoſtilia anguſtior eſſet, quam ut capere omnem ſenatum: in ſacris ædibus, ſeu templis ſenatus ſæpiſſime congregatus fuit. Sic Cicero in *templo Jovis ſtatoris* ſenatum habuit, quum in Catilinam inveheretur: & in *æde Concordiæ*, quum conjurati examinarentur. Vide *orat. cat.* I. *c.* 13. *orat.* II. *c.* 6.: & *orat.* III. *c.* 9. Hæc templa curiæ etiam nonnumquam dicta. Vide Lampridium *in Alexandro c.* 6.: ubi ædem Concordiæ vocat curiam.

SECTIO II.

DE

ORDINE EQUESTRI.

§. I.

EQuites medius ordo erant populi Romani inter ſenatum, & plebem: nec tantum militiæ id nomen eſt, verum etiam dignitatis; & altera ſignificatio ex priori manat, quia olim non niſi digniores illi, & ſplendidiores, equibus ſenatus legebantur, equo militabant. Supra enim diximus de militia Romana, paucos in legione fuiſſe equites: quod non tantum propter nobilitatem illorum factum, verum etiam propter paucitatem equorum in Italia; ubi ager bobus exercebatur, ut hodieque;

que; onera aſinis, & mulis portabantur, muli etiam jungebantur carpentis, lecticæ ferebantur a ſervis; atque ita rarior uſus equorum erat.

§. 2. Signa equitum erant *annulus*, & *anguſtus clavus*. Utroque diſtinguebantur a plebejis: altero etiam a ſenatoribus. Plin. *l.* XXXIII. *c.* 1. Non licebat enim plebejis geſtare annulum: ſed equitibus tantum, & ſenatoribus; a quibus equites tunica tantum diſtinguebantur, quæ ſenatoribus erat lati clavi, equitibus anguſti. De utraque tunica autem plura dicemus infra, quum de re veſtiaria agendum erit.

§. 3. Præter ea aliud ornamentum erat equitum lege roſcia conceſſum, quæ etiam lex theatralis dicitur a Plinio *l.* VII. *c.* 30.: qua cautum fuit, ne quis in theatris, aut amphitheatro in quatuordecim primis gradibus ſederet, niſi cenſum poſſidens equeſtrem. Hinc *in* XIV. *ſedere* eſt idem, quod equitem Romanum eſſe. Suet. *in Cæſ. c.* 39. *Aug. c.* 40., & Sen. *ep.* 44. Cenſus autem equeſter erant quadrigenta ſeſtertia, ut clare definitum eſt a Plinio *l.* 1. *ep.* 19. *n.* 2., & Horatio *l.* 1. *ep.* 1. *v.* 37.

§. 4. Equites Roman non tantum equitibus naſcebantur: verum etiam ſenatorum filii, antequam in ſenatum legerentur, equites fuerunt vocati. Clarum exemplum præbet Pompejus apud Ciceronem *pro l. man. c.* 21.: cujus ætas Cuum longe abeſſet a gradu ſenatorio; res tamen maximas geſſit, & triumphum meruit. De quo

Cicero: *Quid tam inauditum, quam equitem Romanum triumphare?* Et paullo poſt: *Quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex ſenatus conſulto triumpharet?* Pompejus autem natus erat patre patricio, & conſulari.

§. 5. Diviſi equites erant in *urbanos*, & *ruſticanos*. *Illi* domicilium Romæ habebant, & ex iis præcipue legebantur ſenatores. *Ruſticani* non tantum rure degebant, verum etiam in municipiis ruſticanis. Cicero *pro Roſcio amer. c.* 15. *Quid hoc*, inquit? *Patres familias, qui liberos habent, præſertim homines illius ordinis* (equeſtris) *ex municipiis ruſticanis, nonne optatiſſimum ſibi putant eſſe, filios ſuos rei familiari maxime ſervire, & in prædiis colendis operæ plurimum, ſtudiique conſumere?*

§. 6. Inter ſtudia equeſtris ordinis, tam illorum, qui in urbe vivebant, quam qui in agris, & municipiis, erat præcipue etiam conductio vectigalium populi Romani, id eſt, redituum ex provinciis. Inde ordo publicanorum in equeſtri ordine fere continebatur. Cicero *pro Planco c. 9.: Flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicæ, publicanorum ordine continetur*. Idem *pro l. man. c. 2.: Equitibus Romanis honeſtiſſimis viris adferuntur ex Aſia quotidie litteræ, quorum magnæ res aguntur in veſtris vectigalibus exercendis occupatæ*. Vide plura in illa oratione.

SE-

Digitized by Google

SECTIO III.

DE ORDINE PLEBEIO.

§. I.

PLebs tertia pars populi Romani proprie loquendo: quamquam abuſive *populus* ipſi plebeji dicuntur. Sic apud Suetonium *c.* 101. de Auguſti teſtamento: *Legavit populo Romano*, cetera. Et apud Martial. *l.* VIII. *epigr.* 15. *v.* 3.

Dat populus, dat gratus eques, dat thura ſenatus.

§. 2. Plebeji initio durius habiti a patriciis, ſeceſſiones fecerunt: quarum notabilis erat illa ad montem ſacrum trans Anienem amnem; quia prius revocari haud potuerunt in urbem, quam magiſtratu ſui ordinis impetrato, qui plebis cauſſam contra ſenatum tueretur. Hi tribuni plebis ſunt vocati, de quibus ſupra egimus. Vide Liv. *l.* II. *c.* 32.

§. 3. Ingens ſic jus adepti plebeji: ſed his contenti non erant, niſi etiam majora impetrarent. Impetraverunt connubii communionem lege canuleja. Liv. *l.* IV. *c.* 1, & 5. Impetraverunt etiam jus conſulatum petendi. Liv. *l.* VI. *c.* 42.: & *l.* VII. *c.* 1. Etiam ad ſacerdotia, id eſt, auguratum, & pontificatum impetratus aditus. Liv. *l.* X. *c.* 6. Magnum etiam jus, & dignitas erat, quod plebiſcita legibus proprie dictis, & ſe-

& ſenatus decretis lege hortenſia ſunt æquiparata: de quibus ſupra *c.* 6. *ſ.* 4. *n.* 4. diximus. Acceſſit, quod ſummum eſt, provocatio ad populum contra ſenatum, aut majores magiſtratus: ubi populi nomine potiſſimum plebs ſignificatur, equeſtri tamen ordine non excluſo. Vide exemplum apud Liv. *l.* 11. *c.* 56. *ſeq.* Impetratum etiam, ut Livius *eodem libro c.* 56., *&* 58. habet, ut tributis comitiis, id eſt, ſine patribus, tribuni plebis crearentur.

§. 4. Non ergo plebejus ordo tantum viles homines, aut opifices continebat, ſed magnos quoque, & præſtantes viros: cujus ordinis duo erant ſumma præſidia, provocatio ad populum, & tribunatus plebis, quem etiam imperatores, ſeu Cæſares omnes propter ſummam poteſtatem in ſe receperunt.

CAP.

CAP. VIII.

DE COMITIIS.

ejuſque

SECTIO I.

D. E

DISTRIBUTIONE POPULI COMITIA HABENTIS.

§. I.

ROmanus populus varie diſtributus fuit, precipue a Servio Tullio, ſexto rege: quamvis Romulus etiam, etſi ruditer, in hac parte egiſſet. Huic enim tribuunt tribus, & curias in populo inſtitutas: claſſes autem, & centurias Servio. Livius *l.* 1. *c.*43. videtur utrumque dare Servio, Romulo nihil aut parum. Sed forſan ordinatius Servius fecit, quod ruditer Romulus inſtituerat. Nam ipſe Livius *l.*IV.*c.*4.Servio tantum tribuit deſcriptionem centuriarum, claſſiumque.

§. 2. Hæc diſtributio licet ob alias etiam cauſſas facta eſſet: præcipuus tamen illius uſus fuit in ſuffragiis ferendis. Non enim viritim, &

& promiſcue omnibus datum eſt ſuffragium; neque enim hoc per multitudinem fieri potuit: ſed gradus facti, ita tamen, ut nemo excluſus videretur, qui in certa tribu, curia, vel centuria erat. Hinc comitia, qui conventus populi ſuffragiorum ferendorum cauſſa erant inſtituti, diviſa erant in *curiata*, *tributa*, *&* *centuriata*. Prius ergo vocabula explicabimus, quam de ipſis agamus comitiis.

§. 3. Romulus apud Dion. Halic. *l.* II. *p.* 82. in tribus tres & curias triginta diviſiſſe populum dicitur. Servius autem Tullius non tantum tribus auxit: ſed claſſes quoque addidit cenſus agendi cauſſa, & centurias. Primo enim urbem in quatuor tribus ſeu partes diviſit: eaſque non ab auctore, vel gentis origine, ut Romulus; ſed a locis, ubi habitabant, appellavit *ſuburanam*, *eſquilinam*, *collinam*, atque *palatinam*. Dion. Hal. *l.*III.*p.*203. *l.*IV. *p.*216. Liv. *l.*I.*c.*36. *&* 43. Atque hæ quatuor *urbanæ* dictæ ſunt. Deinde ſex populi claſſes conſtituit, cenſu, & poſſeſſionibus diſtinctas. In prima claſſe erant ditiſſimi, abſolute *claſſici* dicti; a quo ritu etiam ſcriptores claſſicos nominarunt præſtantiſſimos, ut Gellius *l.* VII. *c.*13. *&* *l.*XIX.*c.*8. docet: in ſexta tenuiſſimi. Porro claſſes ſingulas diſtribuit in ſuas centurias: ita quidem, ut primæ claſſi adnumeratis equitibus darentur centuriæ XCVIII, ſecundæ XXII, tertiæ XX, quartæ XXII, quintæ XXX; ſexta autem, quamquam numero ſuperiores vinceret, pro

una

una centuria cenſeretur, atque ſic omnium claſſium eſſent centuriæ CXCIII. Liv. *l.*I.*c.*43. & Dion. Hal. *l.* IV. *p.*221. *ſeq.* & *l.* VII. *p.*464.

§. 4. *Curiæ*, uti dictum, erant XXX. earumque numerus numquam auctus eſt, licet tribus deinde multiplicarentur. Dion. Hal. *l.*V. *p.*281. & Cic. *pro domo c.*29. Dividebantur rurſus in *decurias*: unde etiam præfecti curiarum *curiones*, & decuriarum *decuriones* appellati ſunt. Dion. Hal. *l.*II. *p.* 82.

§. 5. *Tribuum* ratio certior erat, & conſtantior: earumque numerus pro tempore auctus, ut tandem fierent triginta quinque. Diviſæ erant in urbanas, & ruſticas: quarum dignitas mutata fuit ſucceſſu temporis, ut nobiliſſimus quiſque in ruſtica maluerit, quam urbana ſcribi; quia quatuor illæ urbanæ libertinis, & novis civibus tantum relinquebantur. Dion. Hal. *l.*IV. *p.*220. Liv. *l.*XXXIII. *c.*10. Cic. *Verr.* III. *c.*5. Plin. *l.*XVIII. *c.*3.

§. *6.* Nomina tribuum hinc inde ex ſcriptoribus, aut inſcriptionibus collegit Carolus Sigonius *de jure civium Romanorum l.* I. *c.* 3. Unum addimus, potuiſſe aliquem in duplici tribu eſſe, pro utroque parentum naturæ, & adoptionis genere. Sic Suetonius *de Auguſto c.*40. ſcripſit: *Fabianis, & ſcaptienſibus, tribulibus ſuis, die comitiorum ſingula millia nummum a ſe dividebat.* In duabus ergo tribubus Auguſtus fuit, fabia, & ſcaptia, ut Torrentius interpretatur, & commentatur: ſcaptia Juliorum, per adoptionem; fabia Octa-

vio-

viorum, per naturam. Quo pertinet inſcriptio Brixienſis lapidis apud Gruterum *p. 626. 226.*
C. IVLIO C. F. FAB. SCAPT. CAESARI AUGUSTO.

SECTIO II.

DE

VARIIS COMITIORUM GENERIBUS.

§. I.

COmitia, uti diximus, erant vel *curiata*, vel *tributa*, vel *centuriata*: prout populus vel per curias, vel tribus, vel centurias ſuffragia ferebat.

§. 2. *Curiata* comitia, a Romulo inſtituta, ſenſim interjerunt; ſaltem negligentius habita ſunt, ſicut ipſæ curiæ: quemadmodum ex Dion. Hal. *l.*IV. *p.* 224. *l.*V. *p.*281. *l.*IX. *p.* 598. *&* 603. & Cic. *contra Rullum c.*11. cognoſcimus.

§. 3. *Tributa* comitia verius erant plebis concilia: quia ſubmotis patribus, ſeu ſenatu agebantur. Liv. *l.*II. *c.*60. & Dion. Hal. *l.* XI. *p.*726. Deinde ad judicia translata: & de multis, cauſiſque aliis levioribus ibidem actum, etiam de exſilio abſentium. Dion. Hal. *l.*VII. *p.*463. *ſeq. & l.*IX. *p.* 585. Adde Sigonium *de judiciis l.*III. *c.*5. *&* 14.

§. 4. *Centuriata* comitia erant Romæ nobiliſſima,

ſima, & præcipua, quibus per claſſium centurias ſuffragia ferebantur. Atque in his patricii ſuperabant plebejos. Dion. Hal. *l.* VIII. *p.* 549. *&* *l.* XI. *p.* 726. In his etiam magiſtratus majores creati ſunt, conſules, prætores, cenſores, & interdum quoque proconſules: unde etiam comitia *conſularia*, *praetoria*, & ſimili modo a magiſtratu, qui tum creabatur, appellata ſunt. Liv. *l.* I. *c.* 60. *l.* V. *c.* 52. *l.* X. *c.* 22. *l.* XXVI. *c.* 18. Gell. *l.* XIII. *c.* 14., & Cic. *ad Att. l.* IV. *ep.* 2.

§. 5. Memorantur etiam *calata* comitia: quæ vero, ut Gellius *l.* XV. *c.* 27. interpretatur, ipſa erant curiata, & centuriata: neque adeo diverſum comitiorum genus faciebant. Calata enim ſunt convocata, a καλῶ, id eſt, voco, convoco: unde & calendæ dictæ ſunt. Rarum nomen in antiquitate: ut mireris, qui factum ſit, ut Juſtinianus *inſt. l.* II. *tit.* 10. *de teſtamentis* id nomen reduxerit.

SECTIO III.

DE

LOCO COMITIORUM.

§. I.

LOcus comitiorum priſcis temporibus erat *comitium*, pars fori Romani: a coeundo dictum,

ctum, ut Plutarchus *in Romulo p.* 30. tradit. Atque ibi comitia curiata olim habita ſunt. Varro *l.* IV. *de l. l.* Idem locus poſtea ſuppliciis deſtinatus fuit: ibique virgis cæſi, uti apud Livium *l.* XXII. *c.*59. *&* Plin. *l.*IV. *ep.*11.*n.*10. legimus; & damnatorum libri exuſti, cujus exemplum habet Tacitus *in Agricola c.*2. *n.* 1.

. 2. Creſcente populo amplior locus quaeſitus comitiis, præſertim centuriatis, fuit: *campus martius*, inter urbem, & Tiberim ſitus; qui ſæpe etiam abſolute campus dicitur. Dion. Hal. *l.* IV. *p.* 276. Gell. *l.* XV. *c.* 27. Cic. *cat.* I. *c.*5. *cat.* II. *c.*1. *& l.* VII. *ep.*30. *n.* 3. Pars campi, qua digniores conſtituti erant, *ſæpta* dicta: quæ diſtinguebant a promiſcua turba, & quorum ſæpe fit mentio apud ſcriptores. Vid. Cic. *pro Mil. c.*15. Sen. *de ira l.* II. *c.* 7., & Auſon. *in gratiarum actione ad Gratianum c.* 5. *n.* 2.

§. 3. Neque vero magiſtratus tantum creabantur in campo: verum alia etiam ibi acta ſunt cum populo negotia, item judicia certa, & ſimilia ad rempublicam pertinentia. Liv. *l.* XXXI. *c.* 6. *l.* IV. *c.*23. *l.* VI. *c.*20., & Cic. *pro domo c.* 30. *&* 32.

CA-

CAPUT IX.

DE STATU HOMINUM DIVERSO APUD ROMANOS,

EJUSQUE

SECTIO I.

DE

STATU LIBERORUM.

§. 1.

STatum hominum jureconſulti vocant, quando homines jure civili, & gentium in liberos, & ſervos dividuntur. Liberi autem vel ingenui ſunt, vel libertini. Vide de his, & quæ ſequuntur *ff. tot. tit. de ſtatu hominum*: & inſtit. *l.* 1. *de jure perſonarum*, *de ingenuis*, *de libertinis*.

§. 2. *Ingenui* ſunt liberis nati parentibus: & hi tam liberis, & libertinis certo reſpectu, quam in totum ſervis opponuntur.

§. 3. *Liberti* ſunt e ſervitute manumiſſi. Manumiſſione autem; ut in §. 3. *inſt. de libertinis* eſt, modo majorem, & juſtam libertatem ad-

ſequebantur, fiebantque cives romani; modo minorem, ut tantum latini juris eſſent: infimæ autem conditionis erant, qui *dediticii* dicebantur. Ceſſarunt deinde pedetentim poſteriores ordines: & primus, qui libertatem dabat, & civitatem romanam, maxime frequentabatur. Ad hanc autem pervenire non poterant: niſi publica auctoritate, vel prætoris in urbe, vel proprætoris, aut proconſulis extra urbem. Atque hæc dicebatur *manumiſſio per vindictam*, hoc eſt, virgam: quam magiſtratus capiti ejus, qui manumittebatur, inferebat. Ceteri ordines libertorum inter amicos manumitti poterant, eoque pervenire ad jus latinum, aut conditionem dediticiorum. Vide de hac re, quæ notavimus ad Plin. *l.* VII. *ep.* 16. n. 4.

§. 4. *Libertini* ſunt libertorum filii. Atque olim ſic diſtinguebatur: vel libertus eſſet, qui ſervierat, poſt manumiſſus; libertini autem a libertis geniti. Svet. *in Claudio c.* 24. Poſtea autem Cæſarum temporibus ſæpe, & plerunque in jure romano, qui liberti dicendi eſſent, etiam vocantur libertini. Sic Suet. *in Auguſt. c.* 25. libertinos milites vocat, qui erant ex ſervis facti liberti, ſive manumiſſi.

§. 5. Libertas autem a ſervis impetrabatur propter merita, & fidelem ſervitutem. Ut vero in aliis rebus omnibus accedit abuſio: ita in hac cauſſa etiam factum ſæpe, ut ſervi pecunia undecunque collecta libertatem a domino

no redimerent, quamvis nullis inſignes eſſent meritis; de quo conqueritur Dion Hal. *l.* IV. *p.* 227. Quamvis autem plenam civitatem liberti adſecuti eſſent, magisque eorum filii: tamen aliquid intererat diſcriminis, ut hi non in ruſticas tribus reciperentur, ſed tantum in quatuor urbanas; nec in ſenatum legi poterant, niſi poſt aliquot generationes. Sic Svetonius *de Claudio c.* 24. *Latum clavum*, inquit, *quamvis initio adfirmaſſet non lecturum ſenatorem, niſi civis romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit*; *ſed ſub conditione, ſi prius ab equite romano adoptatus eſſet*. Quo in ipſo tamen reprehenditur a Svetonio, quod male ad exemplum proauctoris Appii Claudii provocarit. Nam etiam apud Livium *l.* IX. *c.* 29. ille Appius reprehenditur, ejuſque lectio in ſenatum vocatur infamis, atque invidioſa.

SECTIO II.

DE

STATU SERVORUM.

§. I.

SErvi a *ſervando* dicti ſunt: quia, quum bello capti eſſent, non occidebantur; ſed vivi ſervabantur ad dura facienda opera. *ff. d. l.*

§. 2. Servi variæ conditionis erant, pro ingenio, moribus, & arte diſtincti. Qui ingenio valebant, & ſtudiis erant eruditi: hos maxime Romani amabant, iiſque utebantur anagnoſtis, vel a bibliotheca (bibliothecariis); quales Ciceronis fuerunt Tiro, & Dionyſius fugitivus. Vide Cic. *librum* XVI. *epiſtolarum*: & *l.* V. *ep.* 9. *n.* 6., *&* *ep.* 10. *n.* 1. De artibus, & opificiis ſervorum lege Nepotem *in Attico c.* 31. *n.* 3. *Uſus eſt*, inquit, *familia* (ſic ſervi proprie vocabantur, tamquam famulitium) *ſi utilitate judicandum eſt, optima: ſi forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri litteratiſſimi, anagnoſtæ optimi, & plurimi librarii. Pari modo artifices ceteri, quos cultus domeſticus deſiderat, apprime boni.*

§. 3. Diſtincti igitur ſervi erant in *urbanos*, & *ruſticos*. In *urbanis* erant chirurgi, aliptæ, unctores, ſymphoniaci, tibicines, ſupellecticarii, a bibliothecis, anteambulones, oſtiarii, atrienſes, cubicularii, hortulani, ceteri. Et hi propter ingenium, mores, & artes mitius tractabantur, & quum ſerviiſſent annos aliquot, manumittebantur tandem, & liberti fiebant. *Ruſtici* ſervi operibus ruſticis erant deſtinati. Atque ad hæc quidem adhibebantur ineptiores: &, ſi malitioſi ſimul eſſent, & contumaces, ut hoc genus hominum plerunque erat ex barbaris nationibus captum, vel emtum; in ergaſtula detrudebantur, ut compedibus vincti rus colerent. Vide de utroque genere *ſingularem librum* Laurentii Pignorii *de ſervis*. §. 4.

§. 4. Ergaſtulum autem erat locus partim ſubterraneus; ſuperiore tantum loco feneſtris parvis quodam modo illuminatus; in quo nocturno tempore jacebant ſervi: quum diurno vincti laboraſſent ruri. Quindecim in uno ergaſtulo detinebantur, teſte Appulejo *in Apologia*. Ingens autem numerus talium ergaſtulorum in Italia fuit: etiam in Sicilia, ubi prædia erant Romanorum. Hinc ſervilia bella orta, ergaſtulis effractis, & demtis compedibus: de quibus legatur Florus *l.* III. *c.* 19. *&* 20. Hinc Floro ergaſtularii ſervi *catenati cultores* dicuntur *libro eodem c.* 19. *n.* 3: Lucano *vincti foſſores l.* VII. *v.* 402: & ipſum *ergaſtulum* eidem Floro *l.* IV. *c.* 8. *n.* 1.

§. 5. Mitiores autem domini mitius etiam ſuos tractabant, nec conſtringebant compedibus. Plinius junior hujuſmodi erat, qui de ſe *l.* III. *ep.* 19. *n.* 7. ſcripſit: *Nec ipſe uſquam vinctos habeo, nec ibi* (in villa, quam emturus erat) *quiſquam ſupereſt*. Idem *l.* VIII. *ep.* 16., qua de morbis, & morte ſervorum queritur *n.* 1., *&* 2. *Solatia duo*, inquit: *unum facilitas manumittendi (videor enim non omnino immaturos perdidiſſe, quos jam liberos perdidi); alterum, quum permitto ſervis quaſi teſtamenta facere, eaque, ut legitima, cuſtodio. Mandant, rogantque, quod viſum: pareo ocyus. Suis dividunt, donant, relinquunt: dumtaxat intra domum. Nam ſervis reſpublica quædam, & quaſi civitas domus eſt.*

§. 6. Sævitiæ genus in ſervos erat etiam *inuſtio litterarum in fronte* (unde per jocum hos ſervos Plautus *litteratos* vocabat *Caſ. a.* 2. *ſc.* 6. *v.* 49.): ut ſi fugerent, cognoſci ubique, & retrahi poſſent. Conſtantinus autem Magnus crudelem hunc morem lege lata ſuſtulit, quæ eſt *l. II. cod theod. de pænis:* qua prohibetur, in facie ſervi, vel damnati ſcribere, quia facies ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis ſit figurata.

CAPUT

CAPUT X.

DE

STUDIIS ROMANORUM,

EJUSQUE

SECTIO I.

DE RATIONE, ET ORDINE STUDIORUM

APUD IPSOS ROMANOS.

§. 1.

DIgnum & hoc argumentum eſt, ut cum cura pertractetur: quia ex ſtudiis liberalibus magnitudinem ſuam Romani acceperunt, nec ſine illis tantum imperium neque acquirere, neque conſervare potuerunt. Ante bella punica non admodum colebantur: circa illa autem ingenia poetarum, hiſtoricorum, & tandem etiam oratorum ſe protulerunt. Gell. *l.* XVII. *c.* 21. Non hiſtoriam perſequemur, ſed Romanorum adoleſcentum educationem.

§. 2. Romanis ſic uſu receptum erat, ut ſtudia litterarum cum armis conjungerent: a pri-

ma ætate in litteris inſtituti; a toga virili, quam plerumque decimo ſeptimo ætatis anno accipiebant, exerciti etiam rebus bellicis, quamvis prona mente in pacis ſtudia, & civilem vitam inclinarent. Unde ſi C. Marium excipias: nec vero hunc felicem reipublicæ, ſed ingentium malorum auctorem: vix quemquam illuſtrium Romanorum reperias; quin aut utraque, vel alterutra arte excelleret, neutrius ſaltem rudis eſſet.

§. 3. Pueritia exigebatur græcis litteris: quæ apud ipſos erant, quod nobis ſunt latinæ, cuſtodes, & magiſtræ omnis melioris doctrinæ, ac eruditionis. Cic. *de offic. l.* 1. *c.* 1 *in Bruto c.* 90., & Svet. *de cl. rhet. c.* 1., & 2. Hac lingua philoſophiam, ac rhetoricam diſcebant: hac declamabant, antequam latino ſe rhetori traderent. Felici conſilio: quia experientia comprobatum fuit, qui patrium ſermonem prius excoluerint, quam latinum, qui apud nos in græci locum ſucceſſit, numquam ad veram, & ſolidam eruditionem adſpirare potuiſſe.

§. 4. Præcipuum illorum ſtudium erat eloquentia: ad quam cetera dirigebantur, quia in curia, apud populum, & in foro ad judices omnia agebantur latinis orationibus. Cic. *de l. orat. c.* 41. Huic vero diſcendæ græcis litteris, etiam philoſophia, & juriſprudentia opus erat. Græcam linguam: ut probe addiſcerent, ſæpe adhuc parvuli in Græciam, aut græcam colo-

niam

niam mittebantur; ut ſermonem una cum diſciplinis arriperent. Maxime legebant hiſtoricos græcos propter multiplicem uſum: quia, & res, & exempla, & varios caſus inde cognoſcerent, quibus opus eſt in eloquentia.

§. 5 In his urbibus erant Athenæ, Apollonia ad mare, Rhodus, Mytilene, & aliæ in Aſia, quas Cicero memorat *de cl. or. c.* 91., & 92. *l.* IV. *ep.* 7. *n.* 9. *l.* VII. *ep.* 3. *n.* 18. Vell. *l.* II. *c.* 59. *n.* 4., & Svet. *in Aug. c.* 8: quibus Maſſilia Galliæ, Phocæenſium græcorum colonia, acceſſit, quo multi libentius filios, quam Athenas, miſerunt; cujus rei cauſſam Tacitus *in Agricola c.* 4. *n.* 4. tradit, ubi locum appellat hanc urbem græca comitate, & provinciali parſimonia miſtum, ac bene compoſitum.

§. *6.* Exemplum eloquentiæ diſcendæ ſub rhetore quodam latino præbet Plinius *l.* III. *ep.* 3.: quæ digna eſt, ut legatur, relegatur; qui ſcholam ejuſmodi poſcit, eumque præceptorem, a quo mores primum, mox eloquentiam adoleſcentes diſcant. Adde *l.* VI. *ep.* 11. *n.* 3., ubi dicit, nihil publice lætius eſſe, quam nobiles juvenes nomen, & famam ex ſtudiis petere; quod ibidem ad eloquentiam eſt accommodatum.

§. 7. Poſt annum virilis togæ, qui fere ſeptimus decimus ætatis erat, in bellum mittebantur Romanorum filii, etiam illi, qui-

bus

bus animus non eſſet ad militiæ dignitates enitendi: ut uſum rei militaris oculis cernerent, ne poſtea proconſules, aut proprætores militibus contemtui eſſent, ſi nunquam caſtra vidiſſent; ut adeo inter Romanos nemo fuerit nobilior, qui non æque armis, quam litterarum ſtudiis eſſet exercitus. Nec ſtudia in caſtris quieſcebant: ſed commendati claro alicui duci exemplo diſcebant, & contubernio, quam bene armis cum litterarum conveniret ſtudiis. Nam ſtudia, & duces, quod de Cæſare conſtat: etiam minores, tribuni, & centuriones, inter arma quoque proſequebantur. Vell. *l*. I. *c*. 13. *n*. 3. Svet. *in Cæſ*. *c*. 56. *Aug*. *c*. 84. & Plin. *l*. I. *ep*. 10. *n*. 2., & *l*. III. *ep*. II. *n*. 5.

§. 8. Domum regreſſi ex militia, quibus animus non erat illam perſequi, eloquentiæ latinæ ſe magis, quam antea; mox reipublicæ dabant, & honoribus petendis: ubi a quæſtura ad ſummum gradum conſulatus progreſſu temporis contendebatur. Vid. Plin. *l*. II. *ep*. 14. *n*. 3. & *l*. VI. *ep*. 23.

SE-

SECTIO II.
DE STUDIIS PROVINCIARUM.

§. 1.

NOn minus in provinciis Romana, ſtudia ſunt exculta: quod ſcirent Romani, ſine illis ægre provinciam ſervari poſſe. Sic in Hiſpania, Gallia, Britannia, ut colonias Romanas bene multas acceperunt: ita etiam ſcholas, & officinas litterarum. Hoc curæ fuit Sertorio, ut Oſcæ ſcholam pro Hiſpanorum filiis inſtitueret, qua græcis, & latinis litteris erudirentur: quum in Romanos Hiſpaniam concitaret, armaretque. Plut. *in Sert. p.* 575. Fuerunt in eadem natione Corduba, Italica, Bilbilis, & quæ ab Auguſto nomen trahebant, claræ omnes litterarum ſtudiis. In Gallia Durocortorum, Remorum, Auguſtodunum Aeduorum, item Lugdunum, Viſontio, & Burdegala erant florentiſſimæ muſarum ſedes: quod ex Eumenii *pan. c.* 2. 6. 11. 15., & Auſonio *de profeſſoribus*, aliiſque conſtat.

§. 2. Ceterarum provinciarum ſtatus intelligi poteſt, & ſuppleri maxime ex britannico. De qua gente Tacitus *in Agric. c.* 21. *n.* 2.

Jam

Jam vero, inquit, *principum filios liberalibus artibus erudire*, & *ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferre* (cœperunt): *ut*, *qui modo linguam Romanam abnuebant*, *eloquentiam concupiſcerent*. Similia de Hiſpanis tradit Strabo *l.* III. *p.* 151. Sic factum, ut, quum principum filii in provinciis imbuti eſſent romanis ſtudiis, moribuſque: nollent ad priſtinum ſqualorem relabi; ſed Romanis potius parere, qui æquum, & juſtum imperium præ ſe ferebant, quam barbara, & avita uti libertate mallent.

§. 3. Atque ex hac provincialium ſcholarum conſuetudine eſt illud, quod ſupra diximus: plus Romanos litteris ad conſervandum imperium uſos eſſe, quam armis, & legionibus.

CAPUT

CAPUT XI.

DE

LUDIS ROMANORUM,

EJUSQUE

SECTIO I.

DE LUDORUM DIVISIONE GENERALI.

§. 1.

MAgna pars antiquitatum Romanarum occupatur ludis, & ſpectaculis. *Ludi* erant feſti dies, quibus ſpectacula populo edebantur: unde etiam ipſa *ſpectacula* ludi dicta ſunt. Atque his Romanus populus non modo maxime delectabatur: ſed, & alia cauſſa ſuberat, quod deos placari ludis putabant. Vid. Cic. *cat.* III. *c.* 8.

§. 2. Ludi alii *publici* erant, qui maxima pompa pro ſalute civitatis, aut ad demerendam populi gratiam inſtituebantur: alii *privati*, quibus privatim, & inter amicos erant dediti.

§. 3.

§. 3. De publicis hoc loco agendum eſt, quorum varia fuerunt genera. Nos precipua tantum, & ea ſeligemus, quæ ad intelligendos ſcriptores, qui in juvenum manibus ſunt, maxime facere videntur. Et tales quidem ſunt, quos proprie *ludos Romanos* vocabant, & *Circenſes*: porro ludi *ſcenici*, *gladiatorii*, *venationum*, & *naumachiæ*. Sit igitur.

SECTIO II.

DE LUDIS ROMANIS, SEU CIRCENSIBUS.

§. I.

LUdi Romani erant antiquiſſimi: de quibus ad Eutrop. *l.* I *c.* I. aliquid diximus. Sunt, qui ipſos *Circenſes* putant fuiſſe. *Circenſes* ergo, ceteris antiquiores, ut Livius *l.* VII. *c.* 2. teſtatur, dicebantur a circo, qui maximus cognominatus eſt ad differentiam aliorum: in rotundo enim urbis ſpatio curribus certabant, circa metam ſepties currendo ita, ut ad illum non offenderent. Vide interpretes *ad Horatii l.* I. *od.* I.

§. 2. Numerus dierum incertus eſt. Ciceronis ætate quadriduum illis dabatur. *Philipp.* II. *c.* 43. Plures poſtea videntur adjecti: quia

quia Plinius *l.* IX. *ep. 6. n.* 1. *omne hoc tempus* dicit, quo ſane plures dies ſignificantur.

§. 3. Vanitatem circenſium ex eadem Plinii epiſtola cognoſces. *Miror*, inquit, *tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, inſiſtentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur; eſſet ratio nonnulla: nunc favent panno; pannum amant.* Pannum dicit tunicam ex panno certi coloris factam, quo in quatuor factiones, qui circenſibus certabant, dividebantur. Factiones a coloribus dictæ, *veneta, praſina, alba, ruſſata*: & ſecundum has etiam ſtudia populi dividebantur, & ſæpe mordicus inter ſe de favore factionum decertabant. Exempla circenſium ſunt apud Svetonium *in Julio c.* 39. *Calig. c.* 18., *&* *Ner. c.* 11. Factionum autem exempla apud eundem *in Domit. c.* 7. *Vitell. c.* 14. *Calig. c.* 55. Plin. *l.* VII. *c.* 53., *&* *l.* VIII. *c.* 42., & *in multis inſcriptionibus*.

SECTIO III.

DE LUDIS SCENICIS.

§. I.

HI ludi ſunt vel *comœdiæ*, vel *tragœdiæ*. A Græcis originem habebant, quorum noti ſunt comici, tragicique poetæ. Apud Romanos

manos

manos autem eo anno recepti ſunt quo primus conſul ex plebe creatus. Liv. *l.* VIII. *c.* 2.

§. 2. Erat *comœdia* vel *vetus*, vel *nova*: ſic apud Græcos, Romanoſque diſtincta. *Illa* erat licentior, dicacior, impudentiorque: *hæc* modeſtiæ plus præ ſe ferebat. Vide de hac diſtinctione Cic. *de off. l.* 1. *c.* 29., & Horat. *l.* 1. *ſat.* 4. *v.* 2. Quamvis autem hæc modeſtior, elegantiorque eſſet: tamen etiam poſtea ex veteri aliquid admixtum fuit; præſertim in atellanis, quas vocabant, comœdiis, quod dixerunt *exodium*. Liv. *l.* VII. *c.* 2. Sveton. *in Tib. c.* 45. *Cal. c.* 27., *&* *Ner. c.* 39.

§. 3. Locus erat theatrum, diſtinctum forma ab amphitheatro, Plura autem theatra erant ab auctoribus nominatim diſtincta: ut Marcelli, apud Svet. *in Auguſt. c.* 29. Pompeii, *ibidem c.* 31., Scauri, apud Plinium *l.* XXXVI. *c.* 15.; Curionis apud Cic. *l.* VIII. *ep.* 2. *n.* 4.

§. 4. Multa vanitas in theatris fuit, ut Cicero etiam *l.* VII. *ep.* 1. oſtendit: multa impietas, ob quam comœdiæ priſcis Chriſtianis deteſtatæ ſunt. Tertullianus *de ſpectaculis c.* 10. *Theatrum*, inquit, *proprie ſacrarium Veneris eſt*. Adde Minuc. Fel. *c.* 36., & Lactant. *l.* VI. *c.* 20. *n.* 27. *ſeq.*

§. 5. *Tragœdiæ* a comœdiis argumento, & ſtilo diſtinguuntur. *Comœdiæ* perſonas habent vulgares: dicendi genus humile, quod conveniat

veniat plebejis. Soccis etiam utebantur, ut agiliores eſſent. Hor. *de arte poet. v.* 80. *Tragœdiarum* autem argumentum triſte eſt: quia regum, & principum caſus funeſtos proponunt; & quidem ſtilo grandi, atque ſublimi, ut magnates loqui decet. Coturnis etiam perſonæ agebant, ut majores, & quaſi ex heroum ſæculo apparerent. Juvenal. *ſat.* 15. *v.* 29.

SECTIO IV.

DE

LUDIS GLADIATORIIS

§. 1.

OMnium nobiliſſimi apud Romanos, & populo etiam gratiſſimi ludi erant, quibus gladiatorum paria multa in amphitheatro (olim etiam in foro, & vicis) committebantur.

§. 2 Erant autem *gladiatores* viliſſimi homines, vel ex captivis ad hoc ſtudium allecti: vel, ſi ex ingenuis eſſent, propter perditos mores, & decoctam rem familiarem compulſi ſe laniſtæ vendiderunt. *Laniſtæ* autem erant, qui docebant in arte gladiatoria: ipſique rurſus magiſtratibus jam exercitatos

tos gladiatores vendebant, ut in publicis ludis centum, aut ducenta paria ad pugnandum ſiſterentur. Sen. *de benef.* *l.* VI. *c.* 12.

§. 3. Locus, ubi docebantur, *ludus* dictus ſingulari numero: *ludi* autem plurali ſunt ipſa ſpectacula. Cic. *cat.* 11. *c.* 5. Locus, ubi pugnabant, vel forum, vel vicus olim erat, quum in virorum illuſtrium funeribus tantum gladiatores exhiberentur. Liv. *epit.* 16. Poſtea hi ludi in amphitheatro ſunt editi: circumcirca gradatim ſedentibus, qui ſpectabant. Svet. *in Tib. c.* 7. Medius locus *cavea* dictus: etiam *arena*, quia arenis congeſtus erat. Virg. *Æn. l.* V. *v.* 340., & Tac. *hiſt. l.* II. *c.* 62. *n.* 4.

§. 4. Ante meridiem armis luſoriis, id eſt, ligneis pugnabant: poſt meridiem decretoriis, id eſt, acutiſſimis, & ad letalia vulnera paratis. Cic. *de orat. c.* 78., *&* 80. Quando ſic paria componebantur, non ante ſpes liberationis erat, quam adverſario interfecto: ſed ne tunc quidem ſemper miſſio ſecuta eſt, ſed victor interdum cum alio recente componebatur. Lact. *l.* VI. *c.* 20. *n.* 12. Signa erant *pollicem premere*, aut *convertere*. Preſſus populi pollex ſignum gratiæ erat, & liberationis: converſio pollicis ſignum, quo populus cadentem interfici jubebat. Plin. *l.* XXVIII. *c.* 2. Juven. *ſat.* 3. *v.* 36., & Prud. *in Symm. l.* II. *v.* 1098.

§. 5. Varia genera erant gladiatorum pro armorum

morum diverſitate. Quidam dicebantur *thraces*: alii *mirmillones* : alii *laquearii*, qui cum *ſecutoribus* componebantur: alii *hoplomachi*. De quibus omnibus præclare, & copioſe ſcripſit Lipſius *in ſaturnalibus l.* II. *c.* 7. *ſeq.*

§. 6. Mirandum ſane eſt, tam ſævum, & crudelem morem tam impenſe a cultiſſimo Romanorum populo amatum fuiſſe, & in ſummis habitum deliciis. Cicero quidem *tuſc. qu. l.* II. *c.* 17. excuſat, quod tali ſpectaculo juventus ad fortitudinem bellicam animetur: præſertim ſi noxii, & perditi, aut damnati etiam adhiberentur. Verum hæc non ſufficiunt ad moris crudelitatem mitigandam: quum impium, & inhumanum ſit, etiam juſta ſupplicia de ſontibus ſumere oblectationis cauſſa; &, ſi fortitudo virtus eſt, uti eſt, non ex malis, & vitiis nutrimentum ſuum habere debeat.

§. 7. Præmium gladiatorum, qui aliquot congreſſionibus bene pugnaverant, *rudis* erat, ſeu *virgula*: quæ ſignum liberationis erat ex ludo gladiatorio. Hinc dicebantur *rude donati* apud Horat. *l.* I. *ep.* I. *v.* 2., & Ovid. *l.* II. *am. eleg.* 9. *v.* 22. Qualis autem illa, & cujus arboris virgula fuerit, non ſatis expreſſum eſt: Cic. *pro Roſc. amer. c.* 6. palmæ facit mentionem. *Plurimarum*, inquit, *palmarum vetus, ac nobilis gladiator*.

§. 8. Mille ſunt translationes, & loquendi formulæ apud Latinos ex ludis petitæ gladiatoriis:

toriis: ut ſunt, *petitiones objectas vitare*, *declinatione corporis effugere*, apud Cic. *cat.* 1. *c.* 6. Ut autem *petere* gladiatorium verbum erat, ſic etiam *repetere*, hoc eſt ictum geminare apud Lactant. *l.* VI. *c.* 20. *n.* 12. Unde in cæde Caligulæ ſignum erat, & teſſera: *repete*. Svet. *in Calig. c.* 58. Adde Cic. *tuſc. qu. l.* II. *c.* 17., & *pro Sexto c.* 37., ubi occurrit *ferrum recipere*. Tales formulæ etiam erant, *hoc habet*, aut ſimpliciter *habet*: item *loco motus eſt*: item *componere paria*. Vide, quæ ad Prudent. *pſych. v.* 53. notavimus, & ad Cic. *l.* II. *ep.* 8. *n.* 1.

§. 9. Tam inveteratus hic mos tam in urbe, quam in provinciis fuit, ut ægre a chriſtianis etiam Imperatoribus tolli potuerit. Vide Prud. *in Symm. l.* II. *v.* 1113. *ſeq.*

SECTIO V.

DE VENATIONIBUS.

§. 1.

VEnationes erant etiam ludorum genus: non in ſilvis, ſed in urbe exercitæ. Undique conquirebantur belluæ ex Africa, & Aſia, & ſpectante populo conficiebantur. Cic. *l.* II. *ep.* 11. *n.* 3., & *l.* VIII. *ep.* 2. *n.* 14. *ep.* 9. *n.* 7., & Svet. *Calig. c.* 18.

§. 2.

§. 2. Damnatos etiam in ludis hujus generis objiciebant belluis, qui *beſtiarii* inde dicti. Cic. *in Vatin. c.* 17. Sen. *de benefic. l.* 11. *c.* 19. Addita nonnunquam his venabula ſunt: ut, ſi poſſent, ſe a faucibus belluæ defenderent; illaque interfecta a reatu abſolverentur. Hunc ludum beſtiariorum Seneca vocat *ep.* 70.

SECTIO VI.

DE NAUMACHIA.

NAvigationes etiam ludicræ: quæ in ſpeciem belli, non in mari, ſed in urbe, aut juxta illam in effoſſo lacu edebantur. De his ſæpe Svetonius: ut *in Caeſ. c.* 39., & 44., ubi edidiſſe naumachiæ ſpectaculum dicitur. Et *de Auguſto c.* 43. *Navale*, inquit, *prælium circa Tiberim cavato ſolo edidit*. Et *de Domit. c.* 4. *Edidit navales pugnas pene juſtarum claſſium, effoſſo, & circumſtructo circa Tiberim lacu.*

CAPUT XII.

DE

VESTITU ROMANORUM,

EJUSQUE

SECTIO I.

DE

VESTIBUS VIRORUM.

§ 1.

IN veſtibus Romanorum præcipua, & quaſi propria erat, eaque exterior; quæ *toga* vocabatur: unde Romani abſolute *togati* dicti apud Liv. *l.* III. *c.* 52. Sen. *de beata vita c.* 24., & *gens togata* apud Virg. *Æn. l.* 1. *v.* 286. Scholiaſtes *Perſii ad ſat.* 5. *v.* 14. ita deſcribit: *Toga eſt purum pallium, forma rotunda, & fuſiore; atque inundante ſinu, de ſubdextro veniens, ſupra humerum ſiniſtrum ponitur.*

§. 2. Varius togæ uſus, habituſque. Brachium utrumque tegebat: dextrum vero exſerebatur, ubi opus fuit, viris maxime, non primo togæ anno, quo per modeſtiam non licebat, ut ex Cic. *pro cælio c.* 5. conſtat.

Sinum

Sinum ex toga faciebant. Unde Tibullus *l.* 1. *eleg.* 7. *v.* 46.

Effluit effuſo cui toga laxa ſinu.

Utebantur autem toga Romani cives, quum in publicum prodirent, pacis tempore: quemadmodum ſago, quum bellum eſſet, aut tumultus; uti poſt dicemus.

§. 3. Ad togam etiam pertinet *cinctus gabinus*. De quo Servius *ad Æn. l.* VII. *v.* 612. *Erat*, inquit, *toga ſic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia revocata hominem cingat.*

. 4. Materia togæ erat lana pura, ſine colore adſciticio: ideo ſæpius erat propter adſperſas ſordes lavanda a fullonibus, preſertim ſi munditiei quis ſtudioſus eſſet. Mart. . VIII. *ep.* 28. Hor. *l.* II. *ſat.* 2. *v.* 60. Candidatorum autem *toga cretata* fuit, ut a ceteris dignoſcerentur: unde *cretata ambitio* apud Perſium *ſat.* V. *v.* 176. A creta fiebat toga ſplendidior. Inde dicta *toga candida*: unde Ciceronis oratio *in toga candida* apud Aſconium, quia candidatus eam habuerat.

§. 5. Civis Romani ſignum erat toga, qua poſt exactam demum pueritiam utebantur. Hinc formulæ ſunt: *togam virilem ſumere*, *officio togæ virilis intereſſe*, apud Plin. *l.* 1. *ep.* 9. *n.* 2. *l.* X. *ep.* 117. *n.* 1. Pueri autem erant *prætextati*, hoc eſt; veſte prætexta induti: antequam a prætore ſolenni ritu togam acciperent, & cives ſciberentur.

§. 6. Togarum differentia ratione dignitatis hominum erat. De vulgari jam diximus. Magiſtratuum, & ſacerdotum *toga* purpura *prætexta* erat: ſenatorum itidem, & equitum togis aliquid additum, quod *latum*, vel *anguſtum clavum* vocabant. Liv. *l.* XXXIV. *c.* 7. Svet. *in Claudio c.* 24., & Lamprid. *in Alex. Severo c.* 27.

§. 7. Præterea memorantur *togæ pictæ*, & *palmatæ*: triumphales veſtes, quæ regibus etiam dono mittebantur. *Pictæ* erant acu pictæ: *palmatæ*, quibus palmæ, victoriæ ſigna, erant intextæ. Vide Liv. *l.* XXX. *c.* 15., & *l.* XXXI. *c.* 11. ubi tunica palmata eadem dicitur, quæ toga picta. Adde Auſonii *pan. c.* 22. *n.* 2., & quæ ibi notavimus.

§. 8. *Trabea* erat cultus ſplendidior, inſtar prætextæ. Virg. *Æn. l.* VII. *v.* 612. Fuit autem civilis habitus, non militaris: unde male nonnulli cum paludamento confundunt, quos confutat Octavianus Ferrarius *de re veſtiaria*. Vid. etiam *Dion. Hal. l.* 11. *p.* 129.

§. 9. *Læna* peregrina veſtis fuit: etiam a Romanis recepta. Virg. *Æn. l.* IV. *v.* 262.

- - tyrioque ardebat murice læna
demiſſa ex humeris.

In ſacris etiam adhibitam lænam teſtatur Cicero *de cl. orat. c.* 14. *Conſul*, inquit, *ſacrificium publicum cum læna faciebat: quia erat flamen ſimul carmentalis*.

§. 10.

§. 10. *Syntheſis* erat veſtis ſenatoria, maxime in ſaturnalibus. Martialis ejus meminit *l.* XIV. *ep.* 1. *v.* 1.

§. 11. *Lacerna* proprie erat veſtis militaris, quod ex Ovid. *faſt. l.* II. v. 746. apparet. Ciceronis ætate nondum in urbe geſtata, quod Cicero Antonio objicit *phil.* II. *c.* 30. poſt adſumta pluviarum cauſſa, ut Plinius docet *l.* XVIII. *n.* 25., & in alios uſus. Vide Martialem *l.* XIV. *ep.* 137. *v.* 2.

§. 12. *Pænula* itinerarium veſtimentum erat, quemadmodum ex Ciceronis *orat. pro Milone c.* 10. apparet. Sero in urbem inducta, quod Juvenalis *ſat.* V. *v.* 79. probat.

§. 13. *Tunica* preſſa veſtis erat, & corpori adſtricta, etiam interior ſub toga: quamquam ipſa quoque diſtinguebatur pro multiplicatione ſui in interiorem, & exteriorem. Vide Svet. *in Aug. c.* 82. Val. Max. *l.* VII. *c.* 4. *n.* 5. Huic maxime addebatur, quod de lato clavo, & anguſto ſupra diximus. His enim ordines Romanorum diſtinguebantur: ſenatores ab equitibus, equites a plebejis. De quibus ſupra in *ordinibus c.* VII. *ſect.* 1. §. 7. *p.* 99.

§. 14. Veſtis militaris erat *ſagum*, vel ſagulum, quia brevius erat agilitatis cauſſa. Utebantur hoc non tantum in bello, & caſtris: ſed in urbe etiam, quum metus, aut tumultus eſſet. Hinc *ſagati* dicti apud Cic. *phil.* XIV. *c.* 1.

§. 15.

§. 15. *Paludamentum* erat ducis veſtis exterior: unde *paludatus exire* dux, ſeu Imperator dicebatur. Vide Cic. *l.* xv. *ep.* 17. *n.* 5., & Flor. *l.* IV. *c.* 2. *n.* 59.

SECTIO II.

DE VESTIBUS MULIERUM.

§. I.

VEſtis mulierum præcipua, & propria erat ſtola, & palla. *Stola* ad talos uſque, ſive plantas demittebatur, multis rugis, ac plicis conſtricta. Hor. *l.* 1. *ſat.* 2. *v.* 99., & Mart. *l.* III. *epigr.* 93. *v.* 4.

§. 2. *Palla* ſuperior mulierum veſtis dicebatur, ſtolæ ſuperaddita, & itidem in talos dependens: unde etiam *longa* Virgilio vocatur *Æn. l.* XI. *v.* 576. Vide ibidem Servium. A palla differt *pallium*, quod virorum erat in Græcia, & philoſophorum.

CAPUT XIII.

DE FUNERIBUS ROMANORUM,

EJUSQUE

SECTIO I.

DE EXSEQUIIS.

§. 1.

DEductio funeris ex funeſta domo ad locum ſepulturæ certis ritibus fiebat: quorum præcipuos Cicero indicat *pro Milone c.* 32., & quos nunc brevibus explicare animus eſt; ſi hoc prius præmonuerimus, non de quovis nobis, ſed ſolenniore exſequiarum ritu ſermonem eſſe.

§. 2. Igitur facta *conclamatione*, & peractis reliquis, quæ in tali luctu juſta exiſtimabantur, procedebat funus ita, ut *imagines* majorum præferrentur, *cantuſque*, & *neniæ* præficarum audirentur. Vide Serv. *ad Virg. Æn. l.* VI. *v.* 118. Plin. *l.* XXXV. *c.* 2. Hor. *epod.* 8. *v.* 11. Svet. *in Cæſ. c.* 84. *Aug. c.* 100. Lucan. *l.* VIII. *v.* 734. Cic. *de leg. l.* II. *c.* 24., & Feſtum *in præficis*.

§. 3.

§. 3. Tum *laudatio funebris* pro roſtris a proximo agnatorum, vel, ſi deeſſet ex his, qui tale officium præſtare defuncto poſſet, a clariſſimo aliquo, ac doctiſſimo viro habebatur: eaque finita promotum inde funus extra urbem in eum deducebant locum, ubi vel humandum erat, vel igne comburendum. Svet. *in Cæſ. c. 6. Tib. c. 6.*, & Plin. *l.* II. *ep.* I. *n.* 6., & Cic. *de leg. l.* II. *c.* 23.

SECTIO II.

DE COMBUSTIONE.

§. I.

ROmani ut plurimum cremabant mortuos. Paucæ enim gentes, aut familiæ erant, quibus concedebatur defoſſio integri corporis: ut gens Cornelia, ex qua Sulla, jus talionis veritus, quod C. Marii cadaver eruerat, teſtamento contra conſuetudinem gentis cremari ſe juſſit. Cic. *de leg. l.* II. *c.* 22., & Plin. *l.* VII. *c.* 54.

§. 2. Ritus combuſtionis erat, ut rogus exſtrueretur, cui defuncti corpus in lecto imponebant cum aromatum odoribus, aliiſque pretioſis, quæ defuncto cara fuerant. Tum poſt factam conclamationem poſtremam aliquis agnatorum face rogum accendebat. Servius

ad

ad Virg. Æn. l. VI. *v.* 218. *ſeq.* Sveton. *in Cæſ. c.* 84. *ſeq.*, & Plin. *l.* IV. *ep.* 2. *n.* 3., *& l.* V. *ep.* 16. *n.* 7.

SECTIO III.

DE SEPULTURA.

§. 1.

Combuſtione peracta, quæ reliqua erant, id eſt, cineres, & oſſa, fictili urnæ indita in ſepulcro, vel monumento condebantur. Svet. *in Aug. c.* 100. Dio *l.* LXXVII. *p.* 868., & Eutrop. *l.* VIII. *c.* 2. *n.* 17.

§. 2. Sepulcra ut plurimum ad vias erant, ut viatores etiam titulum legerent, memoriamque defuncti conſervarent. Nam cippos erigebant, ſeu marmora: quibus nomen, & honores defuncti cum nomine ejus, qui poſuerat, inſcripſerant. Vide Nep. *de Attico c.* 22. *n.* 4., qui juxta viam appiam ad quintum lapidem ſepultus fuit: & adde Hor. *l.* 1. *ſat.* 8. *v.* 12. Alia exempla Joannes Kirchmannus, qui fuſe de funeribus Romanorum ſcripſit *l.* II. *c.* 22. adfert: ut de via aurelia, flaminia, lavicana, laurentina, oſtienſi, præneſtina, ſalaria, tiburtina.

§. 3. *Aream* quoque ſepulcrorum fuiſſe, cer-

ta

ta pedum menſura deſcriptam, & conſecratam, ex Cic. *phil.* 9. *c.* 7. diſcimus. *Coronas* etiam, & *ſerta* iiſdem adhibebant ornatus gratia: quod priſci chriſtiani averſabantur, poſteriores autem admittebant. Vid. Minuc. Fel. *c.* 12. *n.* 6. & quæ nos ibi ex Prud. *cath. hymno* x. *extremo* adnotavimus.

SECTIO IV.

DE

RITIBUS QUIBUSDAM

POST SEPULTURAM.

§. 1.

Ritus præcipui ſepulturam ſubſequentes fuerunt inferiæ, epulæ, & ludi funebres. *Inferiæ*, ut Feſtus definit, erant ſacrificia, quæ diis manibus non tantum exſequiarum die inferebant: ſed anniverſariis etiam ſacris ad ſepulcrum repetebant. De his jam ſupra egimus *c.* I. *ſect.* IV. *n.* VIII. *p.* 28.

§. 2. *Epulæ* populo Romano datæ publice in memoriam, & honorem defunctorum: & interdum carnes etiam diſtributæ, quæ *viſceratio* dicebatur. Svet. *in Cæſ. c.* 26., & Liv. *l.* XXXIX. *c.* 46.

§. 3.

§. 3. *Ludi funebres* ob eandem cauſſam editi: præſertim gladiatorii; de quibus *c.* XI. *ſect.* VI. expoſuimus. Liv. *epit.* 16. Val. Max. *l.* II. *c.* 4. *n.* 7., & quæ nos ad Cic. *l.* II. *ep.* 3. *n.* I. notavimus.

SECTIO V.

DE CONSECRATIONE PRINCIPUM.

§. I.

ROmani Imperatores bene de republica meriti poſt mortem in numerum deorum certis ritibus relati, atque *divi* appellati ſunt. Exempla paſſim apud hiſtoricos latinos occurrunt. Sic Eutrop. *l.* VII. *c.* 5. *n.* 15. de Auguſto: *Moriens*, inquit, *divus appellatus eſt.*. Et *c.* 8. *n.* 6. de Claudio: *poſt mortem conſecratus eſt*, *divuſque appellatus*. Et *c.* 13. *n.* 9. de Veſpaſiano; *c.* 14. *n.* 11. de filio; *l.* VIII. *c.* 1. *n.* 4. de Nerva; *&* *c.* 2. *n.* 17. de Trajano: *Inter divos relatus eſt*. Idcirco templa eis exſtructa: flamineſque conſtituti, quorum paſſim mentio *in inſcriptionibus*.

§. 2. Non vero ſemper id ex vera devotione factum: ſed aliis de cauſſis politicis,

quas

quas detexit Plinius *pan. c.* 11. *n.* 1., *&* 2. Nervæ conſecrationem a Trajano factam inde ſeparans. *Quem tu*, inquit, *lacrimis primum, ita ut filium decuit, mox templis honeſtaſti: non imitatus illos, qui hoc idem, ſed alia mente fecerunt. Dicavit cœlo Tiberius Auguſtum, ſed ut irrideret: Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum; ſed ille ut dei filius, hic ut frater videretur. Tu ſideribus patrem intuliſti: non ad metum civium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum; ſed quia deum credis.*

§. 3. Ritum conſecrandi accurate Herodianus deſcripſit *l.* IV. *c.* 2. *n.* 2. *Ceream imaginem conſecrandi principis in veſtibulo palatii lecto eburneo, ac veſtibus aureis inſtrato impoſitam, quaſi ægrotaret, per ſeptem dies omnium conſpectui patuiſſe. Deinde ubi jam viſus diem obiiſſe: lectum nobiliſſimos viros tuliſſe in forum, hymnos cantantibus pueris, & feminis nobiliſſimis. Quibus peractis tuliſſe lectum extra urbem in campum martium, & rogo impoſuiſſe ſingulari ratione conſtructo: factiſque circa illum ludis equeſtribus facem illatam eſſe a ſucceſſore principe. Mox ex cellula rogi* (nam in partes diſtinctus erat) *aquilam emiſſam eſſe, quæ vulgo crederetur animam principis in cœlum deferre. Ex eo tempore defunctum pro deo habitum: cultumque fuiſſe templis, pulvinaribus, flaminibus.*

§. 4. Nec tantum ipſi Imperatores ſic honorati fuerunt: verum etiam auguſtæ feminæ,

uxo-

uxores, matres, ſorores principum. Cujus rei exempla multa in nummis antiquis proſtant cum inſcriptione CONSECRATIO, & appellatione DIVI, vel DIVAE: appoſita eſt templi figura, aut aquilæ, aut in feminarum conſecratione pavonis.

§. 5. Conſuetudo hæc ita invaluit, ut vix ſub Imperatoribus chriſtianis primis abrogari poſſet: quamvis illi maxime abhorrerent. Putabatur enim pars majeſtatis eſſe, & honoris, qui principibus deberetur. Sic & Eutropius de Joviano, Chriſti ſacris addictiſſimo principe, *l.* x. *c.* 9. *n.* 11. dicit: *Benignitate principum, qui ei ſucceſſerunt, inter divos relatus eſt.* Quod an ita factum fuerit a Valentiniano, & Valente, non levis cauſſa eſt, cur dubitemus. Cautius idem hiſtoricus *l.* x. *c.* 4. *n.* 13. de Conſtantino dixit: *Inter divos meruit referri.*

CAPUT XIV.

DE RE NUMMARIA, ET INSCRIPTIONIBUS ROMANORUM,

EJUSQUE

SECTIO I.

DE NUMMIS.

I. DE VARIIS NUMMORUM GENERIBUS.

§. 1.

RAdix nummariæ rei eſt cognitio ASSIS: exiguæ monetæ, quæ vix integros tres nummos, (PFENNIGE, ut nos vocamus) valebat, & in duodecim partes, ſive uncias tam in nummis, quam ponderibus dividebatur.

§. 2. Ex aſſe compoſitus eſt SESTERTIUS; quaſi ſeſquitertius, id eſt, aſſes duo, & dimidius. SESTERTIUM autem neutro genere erant mille ſeſtertii. Atque his maximas ſummas per tonnas, & milliones numerandas deſcribunt, maxi-

maxime ſi adverbialiter loquuntur: nam alia ratio eſt, ſi per nomina numeralia id efferunt. Seſtertios etiam *nummos* ſæpe vocant abſolute.

§. 3. Quatuor ſeſtertii faciunt DENARIUM, id eſt, denos aſſes: qui ſi argenteus eſt, *drachmam* pondere valet. Sæpe denarii mentio eſt: etiam in ſacris, ubi dicitur diurna merces fuiſſe operarii. Nonnunquam denarii plus, quam decem aſſes valuerunt, quod non obſcure colligitur ex Tacit. *annal. l.* 1. *c.* 17., ubi milites *n.* 4. queruntur, quod ſinguli *denis in diem aſſibus animam, & corpus æſtiment*: poſtea *n.* 6. addit, *ut ſingulis diebus denarium impetrarent*.

§. 4. SOLIDUS eſt nova moneta, poſteriori ſæculo in uſu: ita dictus, quod ex ſolo auro conſtaret, intus nihil haberet vilioris metalli. Non enim argenteus dabatur ſolidus, ſed aureus fuit tantummodo: ut copioſe Gronovius probavit *de ſeſtertiis*. In legibus Romanis ejus mentio crebra, ſed poſterioribus. Ulpianus *l.* 1. §. *Hoc autem ff. de fugitivis*: *Multa*, inquit, *centum ſolidorum ſtatuta in magiſtratus*. Et Macer de Severo, & Antonino Caracalla *l. c.* 34. *ff. de jure fiſci*: *Quingentos ſolidos fiſco inferre juſſus es*.

§. 5. De valore ſolidi non una eſt ſententia: nec ferri facile una poteſt pro diverſitate temporum. Aliquando, & plerumque ſolidus, &

 aureus

Digitized by Google

aureus idem erant, ut Briſſonius *de verborum ſignificatione* probavit: aliquando & differentia interceſſit; ut ſolidus major eſſet, quam aureus. Nec AUREUS, quod nomen antiquius eſt, quam ſolidi, ſemper idem valuit: ſed pro arbitrio imperantium comparatio inter aurum, & argentum, nunc hoc, vel illo modo, conſtituta fuit. Olim, ut Gronovius *p.* 365. probat, XVII. denarii faciebant aureum. Dio. Caſſius *l.* LV. *p.* 555. XXV. denarios requirit ad aureum. Tempore Arcadii, & Honorii, ut eſt *l. un. cod. de collatione æris*, conſtitutum eſt, ut pro viginti libris æris unus auri ſolidus reddatur. Caſaubonus *ad Lampridii Alexandrum c.* 39. dicit, ſolidum pondere duas drachmas æquaſſe: & ibidem ſatis luculenter probat. Quod ſi eſt: duplo major erit ſolidus, quam illo tempore, de quo Gronovius loquebatur.

§. 6. Quod poſteriores vero *per ſolidos* numerabant: veteres fecerunt *per ſeſtertios*, aut *ſeſtertia*, iiſque maximas etiam ſummas exprimebant. Id vero diverſo modo fiebat, in numerali voce obſervato. Si enim numerale forma nominis dicendum erat, addebantur *ſeſtertia* plurali numero: aut ſi millia adderentur, genitivo *ſeſtertium*; aut, quod uſitatius erat, *nummum*. Nummus enim, & ſeſtertius ſæpe idem ſunt. Hinc Plinius *l.* XXXIII. *c.* 2. ad equeſtrem dignitatem requirit cenſum *ſeſtertia quadringenta*: id eſt, 10000. thaleros graves; quales

les hoc tempore ſunt cruce ſignati [*a*], & ſimiles, decem denariis Romanis [*b*] cenſendi. Junior autem Plinius *l.* 1. *ep.* 19. *n.* 2. municipi, & condiſcipulo, decurioni comenſi, & propter id officium non minus quam *centum millia* poſſidenti, offert ad implendas equeſtres facultates *trecenta millia nummum*, hoc eſt, trecenta ſeſtertia.

(a) *Creutzthaler.*
(b) *Dreyſſig gute oder Meiſniſche Groſchen: ſo das* 10000. *Creutzthaler* 12500. *oder* numero rotundo, & hodiernum valorem magis exæquante 12000. Vide appendicem.

§. 7. Alia ratio eſt numerandi per adverbia numeralia, *quinquies*, *decies*, *vicies*, *quadragies*, cetera. Tum enim, ſi ſeſtertia in neutro uſurpantur cum adverbio, centenarius numerus ſubaudiendus eſt: ita, ut *decies ſeſtertium*, recto, & nominativo caſu, ſingularique numero, ſint 25000. thaleri graves; *quadragies ſeſtertium*, tonna auri, ut vocant; *ſexagies ſeſtertium*, tonna cum dimidia; *centies ſeſtertium*, duæ tonnæ cum dimidia; *quadringenties ſeſtertium*, decem tonnæ, ſive millio; *millies ſeſtertium*, 25. tonnæ, ſive milliones duæ, & dimidia.

§. 8. Libræ nomen etiam occurrit, & pondo. *Pondo*, & *libra* idem: ſi vero junguntur, aut pondo alii monetæ adjicitur; tum vertenda

VOX AMVVERTH UND GEUVICHT. De quibus plura tradit Gronovius *d. l. Libra* autem *argenti* eodem interprete ſunt centum denarii, ſeu quadringenti ſeſtertii. *Libra* autem *æris* fere eſt ſeſtertius.

§. 9. Peregrini nummi Romanis ſcriptoribus etiam, quando de rebus Græcorum agunt, nominati, ſunt potiſſimum DRACHMA, & TALENTUM. *Drachmam* diximus octavam partem thaleri eſſe, ſeu denarium, (EIN QUENTCHEN): hinc fit *didrachmum*, id eſt, duæ drachmæ, quadrans thaleri; cujus in ſacris etiam habetur mentio apud Matthæum *c.* 17. *v.* 24. *Talentum* autem diverſum erat: quod autem potiſſimum in auctoribus reſpicitur, eſt *talentum atticum*, quod conſtabat ſexaginta libris argenti, ſive 750. thaleris, ut (*c*) vocantur, imperialibus. Vide quæ ad Curtii *l.* VII. *c.* 5. *n.* 27. notavimus.

(a) *Neichſthaler von 24. guten Groſchen.*

§. 10. Hactenus de valore numiſmatum, & variis nominibus, etiam de ſupputandi ratione: ſequuntur nunc ipſi antiqui nummi variæ ætatis, ſecundum materiam, formam, figuram, inſcriptiones; & alia ſigna conſiderandi.

§. 11. PECUNIAM dicut a *pecude* nomen habere: quod olim fuerunt boves, oves, porci, & ſimilia animalia impreſſa. Quædam gentes etiam poſtea ſuis nummis figuram anima-

lium

lium inſcripſerunt: equum, hircum, ovem, ut de avibus taceamus.

§. 12. MATERIA nummorum veterum vel *aurum* eſt, vel *argentum*, vel *mixtum* quoddam *metallum*. *Aurei* nummi rariores ſunt: nec etiam tanti, niſi quod materia pretioſa ſit, æſtimantur, quam ceteri; quia id genus facile falſari poteſt, & alienum arte, & fraude ſupponi. *Argenteorum* magna ſupereſt copia: ſed & hic ſæpe falſi pro veris ſupponuntur. *Ænei* nummi propter æris ſingularem mixturam, etiam quod plurimis addita ferniſatio, ut vocant, quam itidem imitari non poſſumus ad antiquum modum, plurimi ſunt veri, & genuini.

§. 13. FORMA dividitur in *tres modulos: maximum, medium*, & *minimum*. Nec vero tam accurate id ubique ſervatur, nec ſemper ejuſdem magnitudinis modulus unus eſt: & ipſa maximi moduli numiſmata inter ſe differunt magnitudine, quod ad oculum demonſtrari poteſt *Ioſephi Monterchii libello de maximi moduli numiſmatibus* Amſt. 1685. 12. Sic etiam eſt in ceteris modulis, qui itidem inter ſe differunt, & variant ratione magnitudinis, & parvitatis.

§. 14. Ratione TEMPORIS dividuntur in *conſulares* nummos, hoc eſt, in libera republica ſub conſulibus cuſos: & in nummos *factos ſub Cæſaribus*, ſive *Cæſareos*.

§. 15. A FIGURA impreſſa etiam varie denomi-

nominati ſunt, præſertim conſulares, ut *victoriati*, *bigati*, *quadrigati*, *ratiti*: a ſigno victoriæ, quod continebant; vel bigarum, quadrigarum, ratis, ſive navis.

§. 16. Ratione LOCI etiam numiſmata diſtincta fuerunt; quia plurima cuſa fuerunt in provinciis a civitatibus, quibus id conceſſum fuerat a Romanis: quemadmodum integri libri de talibus nummis proſtant: ut *Harduini de nummis populorum, & urbium*; *Vaillantii de nummis coloniarum ſecundum Cæſarum ſeriem*.

II. DE COGNITIONIS NUMMARIÆ USU.

§. I

USus veterum numiſmatum eſt in hiſtoria ſupplenda; in chronologia corrigenda: in orthographia ad certas rationes revocanda; in antiquitatibus variis, ſacrificiorum, triumphorum, conſecrationis, ſtructuræ templorum, formæ navium, veſtimentorum, & ſimilium rerum: quod demonſtratum eſt uberrime ab illuſtri viro Ezechiele Spanhemio ſingulari libro *de uſu, & præſtantia numiſmatum*.

§. 2. Utilitati addenda etiam eſt jucunditas: ſi ſelectos nummos perluſtramus; & inde oculis ſubjicimus varias res, quas animus ex hiſtoria, vel deſcriptione non ſatis poterat capere.

§. 3.

§. 3. Neque vero latini tantum nummi cognoſcendi ſunt: ſed græci etiam ſub Romano imperio in Aſia cuſi, aut aliis locis, ubi græca lingua obtinebat; etiam a regibus græcæ originis, antequam gentes illæ in Romanorum poteſtatem venirent; ut ſunt nummi Seleucidarum in Syria, Ptolemæorum in Aegypto, Arſacidarum in Parthia. Achæmenidarum in ponto, Boſporo, Thracia, & Bithynia, quos hiſtorica ſerie deſcripſit jam laudatus *Vaillantius*.

§. 4. Nummi autem veteres, ut noſtri etiam, duas facies habent: quarum prior *recta* eſt, & ut plurimum caput, ſeu imaginem continet; poſterior dicitur *averſa*, quæ plerumque aliquod ſignum continet cum aliqua inſcriptione.

III. DE REI NUMMARIÆ SCRIPTORIBUS.

§. I.

IN nummis demonſtrandis utendum eſt libris, qui nummos accurate delineatos habent cum eruditorum hominum explicatione. Pro ipſa introductione generali poſſunt uſui eſſe Jeſuitæ *Joberti notitia rei nummariæ*, Lipſiæ expreſſa latine 1695. 12., & *Caroli Patini introductio ad hiſtoriam numiſmatum* Amſtel. 1683. 12. præcipue autem *Ezechielis Spanhemii* ſupra Laudatus liber *de uſu, & præſtantia numiſmatum* Lond. 1706. f.

§. 2.

§. 2. Plurimi, qui curam veterum nummorum habent, cogitant ſolum de Imperatorum nummis: parum ſolliciti de conſularibus, urbium per varias provincias numiſmatibus; quum tamen ex illis plus ſæpe, quam Imperatoriis, pro hiſtoria, geographia, chronologia, & antiquis ritibus cognoſci poſſit. Nihilo minus Cæſareorum inſpectio ſuum uſum habet ſingularem, ubivis explicatum ab eruditis. Commendari ex his in primis meretur *Carolus Patinus* magno opere Argentorati 1671. f. impreſſo: quia explicationes addit ſingulis nummis, & Imperatoribus erudītiſſimas. Huic adjungi poteſt *Jean Vaillant*, qui *Cæſarum* etiam *nummos* duobus tomis edidit: priore æneos, poſteriore argenteos, utrobique ſecundum ſeriem Imperatorum, Pariſ. 1681. f.

§. 3. Qui exotica amat: *Franciſci Angelonii hiſtoriam auguſtam* italica lingua Romæ 1641., & 1684. f. editam adeat, qui ſelectiſſimos Imperatorum nummos interpretatur. Ex Gallicis libris opera *Jo. Triſtani* commendanda ſunt, quæ itidem ſecundum ſeriem Imperatorum ſermone gallico rariſſimos nummos, & elegantiſſimos explicant, & interpretantur, Pariſ. 1635. 1644. 1657. f.

§. 4. Nec vero prætermittendus eſt *Hubertus Goltzius*, qui vaſto opere, vel omnem rem nummariam exhauſiſſe videtur, Antvverp. 1644. f. Quod vero nummos ſæpe adfert adhuc invi-

ſos:

ſos: de fide ejus a multis viris eruditis dubitatum eſt. Et *Adholphi Occonis* Imperatorum numiſmata, a *Mediobarbo Birago* copioſius Mediolani 1683. f. edita ſunt: qui vero ſolas inſcriptiones refert, figuras non exhibet, ſed tantum deſcribit.

§. 5. Conſulares nummi, & denarii deſcripti ſunt a *Fulvio Urſino*, auctius editi a *Carolo Patino* adjunctis nummis *Ant. Auguſtini*, ex quibus gentes, & familiæ Romanorum optime condiſci poſſunt. Auxit iterum copioſiſſime *Jean Vaillant* tribus tomis Amſtel. 1703. f. expreſſis.

§. 6. Nummos ad geographiam pertinentes illuſtrarunt *Jo. Harduinus* egregio tractatu *de nummis populorum, & urbium* Pariſ. 1684. 4., & modo laudatus *Vaillant* opere, quod inſcripſit, *numiſmata ærea Imperatorum in coloniis, municipiis, & urbibus jure latio donatis, ex omni modulo percuſſa*, Pariſ. 1681. f.

§. 7. Elegantiſſimi autem ſunt libri, qui ſelecta muniſmata exhibent cum explicatione, cujus generis ſunt *Conſtantii Landi ſelectiorum numiſmatum expoſitiones* Lugduni 1559. 4. editæ, & 1695. Lugduni Batavorum recuſæ: & *Petri Seguini ſelecta numiſmata antiqua*, Pariſ. 1665. 1684. 4.. Et ex recentioribus *Jacobi Wildii ſelecta numiſmata*, Amſtel. 1692. 4., & *Andreæ Morellii ſpecimen univerſæ rei nummariæ antiquæ*, Pariſ. 1683. 8., quod maxime peregrinos nummos,

mos, non ſolos Romanos, continet. Nam ad illos etiam reſpiciendum eſt: quemadmodum idem (d) *Vaillant Syro-macedonum hiſtoriam* Pariſ. 1681. 4., & filius *hiſtoriam Ptolemæorum ex nummis* edidit Amſtel. 1701. f.

(d) Prodiit etiam ex ejuſdem Vaillantii opere poſtumo *hiſtoria Arſacidarum*, *& Achæmenidarum* Pariſ. 1725. 4.

§. 8. Tacemus ſpecialiſſimos nummos cum explicatione editos ſingulariter. Sæpe unus tantum, aut perpauci exhibentur: cujus generis eſt diſſertatio *octavii Falconerii de nummo apamenſi, deucalionæi diluvii typum exhibente*, Romæ 1668. 8.

§. 9. Conſtantinopolitanum imperium etiam ſuos nummos habuit, deſcriptos a *Carolo du Freſne in hiſtoria byzantina illuſtrata*, Pariſ. 1680. f.

S E-

SECTIO II.

DE

INSCRIPTIONIBUS.

§. I.

INſcriptiones veterum eumdem uſum habent, quem numiſmata antiqua. Serviunt hiſtoriæ geographiæ, genealogiæ, variorumque rituum cognitioni; immo ipſi litteraturæ, id eſt, orthographiæ, grammaticæ, & vocabulorum ſcientiæ: quia multa ex lapidibus diſcuntur, quæ in libris etiam antiquis fruſtra quæſiveris.

§. 2. Tales inſcriptiones ediderunt vaſto opere *Janus Gruterus*, Francof. 1601. 4., & *1616.* f.: alias a Grutero prætermiſſas, *Thomas Reineſius* in ſyntagmate inſcriptionum Romæ veteris, Lipſ. *1682.* f. *Jacobus Sponius in miſcellaneis eruditæ antiquitatis*, Lugd. 1685., f.: & recentiſſimus *Raphael Fabrettus*, Romæ *1699.* f. ſinguli hi magna volumina inſcriptionum collegerunt.

§. 3. Plures ſunt, qui ſingulares inſcriptiones expoſuerunt: ut idem *Sponius in itineribus ſuis per Dalmatiam*, *Græciam*, *Aſiam*; etiam in gallico tractatu, quem vocat *Recherches curieuſes d'antiquité*, Lyon 1683. 4.; *Lipſius in monu-*

monumento ancyrano; Patinus in commentario in tres ſmyrnenſes inſcriptiones, Patavii 1685. 4.; *Anton van Dale de antiquitatibus, & marmoribus*, Amſtel. 1702. 4.

§. 4. In græcis inſcriptionibus ut antiquiſſima, ita utiliſſima etiam in antiqua hiſtoria ſunt *marmora arundeliana*: quæ aliis aucta nunc *oxonienſia* a loco adſervationis, & editionis dicuntur. Prodierunt Oxonii cum variorum notis cura *Humphridi Prideaux* 1676. f.

§. 5. Sunt etiam mixta opera gemmarum, & numiſmatum: in quorum editione, tamquam integrorum antiquitatis cimeliorum, laudem promeruit *Laurentius Begerus*, primum *Theſauro palatino*, Heidelb. 1685.. f. publici Juris facto: deinde *boruſſo brandenburgico*, quem tribus voluminibus nuperrime vulgavit, Colon. march. 1696. 1700. 1701. f. Qui *ſolas gemmas* expoſuerunt: in iis præcipuus eſt *Leonhardus Auguſtinus* Lugd. Bat. 1685. 4.

§. 6. In lapidibus figuratis, & nummis certis, ac inſcriptionibus multis *Philippus a Turre* ſe eruditis probavit: quum Romæ 1704. 4. edidit *monumenta antiana*, quibus nihil eſt eruditius.

APPEN-

APPENDIX PRIOR
DE ASSE ROMANORUM.

§. I.

AS nummi ærei genus erat, qui libralis primum cudebatur, & grave æs (VOLLVUICHTIG) perſæpe a ſcriptoribus dicitur. Liv. *l.* IV. *c.* 60. Poſt, quum Romanus populus ære alieno premeretur: ex ſingulis aſſibus libralibus ſextantarii, deinde unciales, & tandem lege Papiria ſemunciales facti ſunt. Plin. *l.* XXXIII. *c.* 3.

§. 2. Differentiam hanc cum variatis nummorum argenteorum pretiis, & reliqua computandi ratione tabulis quibuſdam, & ſic uno quaſi conſpectu hic exhibebimus: ut tirones eo facilius intelligant, quæ CL. Auctor noſter hac de re ſuperius Cap. 14. tradidit. Poſſent quidem deterrere animum ab ejuſmodi conatu tam diverſæ eruditorum in determinandis his pretiis ſententiæ: ſed ſtatuendum tamen aliquid videtur, ne prorſus fluctuent juveniles mentes; quum præſertim neque injurii in alios velimus eſſe, neque accuratiſſimos ipſi calculos polliceamur. Quod ſi vero, quæ multorum ſententia eſt, denarium Romanum tribus groſſis miſnicis comparamus: in multis videbimur habere, in quo ſi non plane immoti, at tutiores tamen conſiſtamus. Sit igitur

TA-

TABULA PRIMA

De Aſſium differentia.

	Gr.	Pf.
As libralis ad noſtram pecuniam exactus exæquat fere - -	4.	6.
As ſextantarius - - - -		9.
As uncialis - - - - -		4.$\frac{1}{2}$
As ſemuncialis - - - -		2.$\frac{1}{4}$

TABULA II.

De Aſſe librali, ſeu Ære gravi.

	Thal.	Gr.	Pf.
As libralis ad noſtram exactus monetam exæquat - -		4.	6.
Semiſſis - - - - -		2.	3.
Triens - - - - -		1.	6.
Quadrans - - - -		1.	1.$\frac{1}{2}$
Sextans - - - - -		-	9.
Uncia - - - - - -		-	4.$\frac{1}{2}$
Semuncia - - - - -		-	2.$\frac{1}{4}$
Sextula - - - - -		-	$\frac{3}{4}$
Dupondius - - - -		9.	-
Seſtertius - - - -		11.	3.

Qua-

	Thal.	Gr.	Pf.
Quadruſſis - - -	-	18.	-
Quini æris - - -	-	22.	6.
Deni æris - - -	1.	21.	-
Centeni æris - -	18.	18.	-
Mille æris - - -	187.	12.	-
Dena millia æris -	1875.	-	-
Centena millia æris -	18750.	-	-
Decies centena millia æris - -	187500.	-	-

TABULA III.

De pretiis Nummorum argenteorum illo tempore, quo As libralis erat.

Nummi argentei -		Thal.	Gr.	Pf.
Denarius æſtimatus aſſibus 10. exæquat - -	-	1.	21.	-
Quinarius - -	5.	-	22.	6.
Seſtertius - -	2.$\frac{1}{2}$	-	11.	3.
Libella - - aſſe	1.	-	4.	6.
Sembella - ſemiſſe, ideſt aſſe	$\frac{1}{2}$	-	2.	3.
Teruncius - quadrante, ideſt aſſe	1.$\frac{1}{4}$		1.	1.$\frac{1}{2}$

TABULA IV.

De Aſſe Semunciali.

	Thalr.	Gr.	Pf.
As ſemuncialis exæquat	-	-	$2.\frac{1}{4}$
Dupondius - - -	-	-	$4.\frac{1}{2}$
Seſtertius quatuor aſſibus conſtans		-	9.
Quini æris - - -	-	-	$11.\frac{1}{4}$
Deni æris - - -	-	1.	$10.\frac{1}{2}$
Centeni æris - -	-	18.	9.
Mille æris - - -	7.	19.	6.
Dena millia æris - -	78.	3.	-
Centena millia æris -	781.	6.	-
Decies centena millia æris	7812.	12.	-

Nota. Quatuor aſſibus hoc tempore æſtimari ſeſtertius cœpit, quemadmodum denarius ſedecim: ſed hic minus proprie uterque dicitur. Quodſi vero tamen placet more antiquo dividere ſeſtertium, itaut duobus integris, & dimidio conſtituatur:

	Pf.
As unus, ſeu integrum unum æquabit	$3.\frac{3}{4}$
Dupondius - - - - - -	$7.\frac{1}{5}$
Semiſſis - - - - - -	$1.\frac{4}{5}$

Ut ſeſtertii ex dupondio, & ſemiſſe conſtantis ſumma ſit 9. Pf.

T A-

Digitized by Google

TABULA V.

De pretiis nummorum argenteorum illo tempore, quo As ſemuncialis fuit.

Nummi argentei				Gr.	Pf.
Denarius æſtimatus	aſſibus	10.	exæquat	3.	-
Quinarius	- -	8.	-	1.	6.
Seſtertius	- -	4.	-	-	9.
Libella	- aſſe	1.	-	-	2.$\frac{1}{4}$
Sembella - ſemiſſe, ideſt,	aſſe	$\frac{1}{2}$		-	1.$\frac{1}{8}$
Teruncius - quadrante, ideſt,	aſſe	$\frac{1}{4}$		-	1.$\frac{9}{16}$

TABULA VI.

De Seſtertiis, eorumque computandorum ratione.

Seſtertii *HS*	exequant	*Thal.*	*Gr.*	*Pf.*	vel numero rotundiore ſecundum aliorum computum.	
1.	-	-	-	9.	thaleros, ſive nummos	
4.	-	-	3.		Imperiales	cruce ſignatos
32.	-	1.	-			
100.	-	3.	3.		*Reichſthal*	*Creutzthal*
1000. i.e. ſeſter.		31.	6.		*von 24. Gr.*	*von 30. Gr.*
Seſtertia						
1.	-	31.	6.	-	30.	25.
10.	-	312.	12.	-	300.	250.
20.	-	625.	-	-	600.	500.
32.	-	1000.	-	-	960.	800.
40.	-	1250.	-	-	1200.	1000.
100.	-	3125.	-	-	3000.	2500.
1000. ſive decies ſeſtertium		31250.	-	-	30000.	25000.
Seſtertium, ſive *HS.*						
Decies			31250.		30000.	25000.
Duodecies			37500.		36000.	30000.
Quindecies			46875.		45000.	37500.
Vicies			62500.		60000.	50000.
Tricies			93750.		90000.	75000.
Quadragies			125000.		120000.	100000.

Quin-

Quinquagies	156250.	150000.	125000.
Sexagies	187500.	180000.	150000.
Centies	312500.	300000.	250000.
Ducenties	625000.	600000.	500000.
Quadringenties	1250000.	1200000.	1000000.
Millies	3125000.	3000000.	2500000.
Bis millies	6250000.	6000000.	5000000.
Decies millies	31250000.	30000000.	25000000.

APPENDIX POSTERIOR

DE NOMINIBUS ROMANORUM

EX CAROLO SIGONIO, ET ONUPHRIO PANVINIO.

§. 1.

ROmanos homines duobus primum, poſt etiam tribus nominibus uſos eſſe reperimus: quorum unum præcipue *nomen*, alterum *prænomen*, tertium *cognomen*, aut *agnomen* appellaverunt. Quod ut eo melius intelligatur, exemplo Publii Cornelii Scipionis Africani declarabimus.

§. 2. Nimirum *nomen* originem gentis indicabat, unde etiam gentilicium vocari ſolet: ut Cornelius.

§. 3. *Prænomen* differentiæ cauſſa nomini gentilicio præponebatur, ut ſcilicet a ſe invicem diſtinguerentur, qui ejuſdem gentis erant: quale eſt in exemplo noſtro Publius. Atque hæc diſcernendorum filiorum, & nepotum cauſſa inventa eſſe Varro auctor eſt.

§. 4. *Cognomen* gentilicio nomini ſubjungebatur, ut Scipio. Et hanc quidem appellandi ratio-

rationem primum videntur excogitaſſe, ut eos, qui idem prænomen, ac nomen ferebant, internoſcerent: poſt autem, quum cognominum uſus increbuiſſet, etiam ſine ejuſmodi cauſſa ſervaſſe. Poteſt hoc in gente Cornelia perſpici, quæ cognominum varietate in multas familias eſt diffuſa: ut Maluginenſes, Coſſos, Scipiones, Lentulos, Merulas, Cinnas, Sullas, Dolabellas, & ſic porro, quum nova ſubdiviſione opus eſſet, ut in Scipionibus, qui vel Africani, vel Aſiatici, vel Naſicæ dicebantur.

§. 5. A cognomine diſtinguunt nonnulli *agnomen*, tamquam extrinſecus addi ſolitum, & ex ratione aliqua, aut eventu quæſitum: ut Africanus. Sed contradicunt Carolus Sigonius, & Onuphrius Panvinius, locupletiſſimorum ſcriptorum teſtimoniis comprobantes, omnia deinceps cognomina dici, quæ poſt nomen gentilicium collocantur. Atque ſic non tantum in hujus P. Cornelii cogominibus cenſeri debet, quum vocatur Scipio Africanus: ſed idem in nepote etiam, L. Aemilii Paulli filio valet, qui adoptatus a Publio, Africani majoris filio, dicitur P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus. Sed raro tria uſurparunt cognomina: rariſſime autem quatuor, ut Q. Fabius maximus Verrucoſſus Ovicula Cunctator.

§. 6. Ex *prænominibus* alia a Romanis, alia a finitimis populis frequentius uſurpata ſunt. *Romana* ſex, & quadraginta numerat

L 4 Onu-

Onuphrius Panvinius: quæ ſunt Agrippa, Ancus, Appius, Arruns, Aulus, Cæſo, Cajus, Cnæus, Coſſus, Decimus, Denter, Druſus, Egerius, Fauſtus, Hoſtius, Julus, Lar, Lucius, Mamercus, Mamurius, Manius, Marcus, Nero, Numa, Numerius, Opiter, Paulus, Poſtumus, Potitus, Proculus, Publius, Quintus, Remus, Romulus, Sertor, Servius, Sextus, Spurius, Statius, Tiberius, Titus, Tullus, Vibus, Volero, Voluſus, Vopiſcus. Erant autem ex his alia frequentiore in uſu: alia contra minus uſitata. Ex minus uſitatis quædam, quum ante cognomina eſſent, poſt longum temporis intervallum prænominis officio functa ſunt: ut Coſſus, Druſus, Julus, Nero, Paullus, Potitus, & Voluſus: quædam autem, quum ab initio eſſent prænomina, pro cognominibus aliquando ſunt uſurpata; ut Agrippa, Denter, Fauſtus, Poſtumus, Proculus, & Tullus. *Peregrina* ſunt Aimilius, Allius, Attius, Aventinus, Faunus, Fauſtulus, Herennius, Latinus, Lucumo, Metius, Numitor, Octavius, Ovius, Petro, Picus, Pompo, Septimius, Tallus, Turnus, Tutor, & ſimilia.

§. 7. De Romanis prænominibus hoc etiam obſervare utiliter tirones poſſunt: alia eorum per compendium ſingulis tantum, alia binis, alia ternis litteris ſcribi ſolita fuiſſe. *A.* enim Aulus erat, *C.* Cajus, *K.* Cæſo, *D.* Decimus, *L.* Lucius, *M'.* Manius, *M.* Mar-

cus,

cus, *N.* Numerius, *P.* Publius, *Q.* Quintus, *T.* Titus: *Ap.* Appius, *Cn.* Cnæus, *Op.* Opiter, *Sp.* Spurius, *Ti.* Tiberius: *Mam.* Mamercus, *Ser.* Servius, *Sex.* Sextus, *Tul.* Tullus.

§. 8. *Gentilicia nomina* pene innumera ſunt: & fere omnia deſinunt in *jus*, ut gentis origo derivatione ejuſmodi ſignificetur. Sic *Julia* gens ab Julo dicitur, Aeneæ filio; *Aimilia*, ab Aimilo, Juli filio; *Nautia*, a Naute; *Antonia*, ab Antone: quoniam hi earum gentium auctores erant. Pauca tantum excepta ſunt, quæ in *us* terminantur: ut Peducæus, Poppæus, & Norbanus. Nam quod Cæcina, Perperna, & alia quædam non in *jus* deſinunt, potius eorum neſciri nomina exiſtimandum videtur; quam nomina gentilicia fuiſſe, quæ omnino cognomina fuerunt.

§. 9. Commemorandum autem hoc loco eſt, quid *gens* ſit, a qua gentilicia nomina dicuntur: & qua ratione a *familia* differat. Nimirum illud inter utramque intereſt, quod gens ad nomen, familia ad cognomen refertur. Quare illa quaſi totum videtur continere, hæc quodam modo partem. Exempli gratia Cornelii omnes unius eſſe gentis dicuntur, quia uno nomine continentur omnes. At vero partes hujus gentis ſunt plures, quæ ex cognominum varietate diſtinctæ ſunt, & familiæ vocantur: ut Maluginenſes, Coſſi, Scipiones,

nes, Lentuli, Merulæ, Cinnæ, Sullæ, Doloballæ. Hinc recte Feſtus gentem definit eam, quæ ex multis familiis conficiatur. Quæ autem ratio eſt inter gentem, & familiam: eadem etiam eſt inter genus, & ſtirpem, eademque porro inter gentiles, & agnatos. Quemadmodum enim familia, aut ſtirps nos propius attingit, quam gens, aût genus: ſic agnati propiores, quam gentiles. Agnati enim ſunt ejuſdem familiæ: gentiles ejuſdem gentis, vel, ut Cicero tradit, eodem inter ſe nomine.

§. 7. De *cognominibus* jam ante quædam dicta ſunt. Alia cognominandi ratio ſupereſt: a patris, (interdum etiam ab avi vel proavi) prænomine; item a tribu, curia, aut cenſu deſumta. Sic apud Cic. *l.* VIII. *ep.* 8. *n.* 12. legimus: *Scribendo adſuerunt L. Domitius* Cn. filius *Ahenobarbus*, *Q. Cæcilius* Q. F. *Metellus Pius Scipio*: *L. Villius* L. F. Pomt. *Annalis*; *C. Septimius* T. F. Quirina, *C. Luccejus* C. F. Pup. *Hirrus*, *C. Scribonius* C. F. Pop. *Curio*, *L. Attejus* L. F. An. *Capito*, *M. Oppius* M. F. Terentina. Ubi *Pomtina*, *Quirina*, *Pupinia*, *Popilia*, *Anienſis*, *Terentina*, tribuum nomina ſunt, ſexto caſu poſita.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

A, Abſolutionis nota 86.
Acca Larentia, Romuli nutrix 11.
Accuſatores plures in una cauſſa 87.
Achæmenidarum hiſtoria ex nummis 153.
Achaja, provincia Græciæ 81.
Advocati, & advocationes 88.
Ad urbem eſſe 66.
Æacus, judex inferorum 3.
Ædes concordiæ 102.
Ædilicii viri 33.
Ædiles curules cereales 37.
Ægyptus, provincia 82.
Ærarii cura a quæſtoribus ad præfectos translata 38.
Ærarium commune differt a fiſco, item ab ærario militari, Saturni 46. 47.
Ærarium facere aliquem 39.
Æſculapius 2.
Agrippa, dux Auguſti 66.
Albæ victimæ 26.
Alecto, furia 3.
Aliptæ, 116.
Ambarvales hoſtiæ 11.
Ambitio cretata 135.
Amphitheatrum 128.
Anagnoſtæ 116.
Ancilia 10.
Ancus Martius 30.
Angelonius (Franciſcus) 154.
Anguſtus Clavus 102.
136.
Annulus, ſign. equitis 99.

Annus a conſulibus denominatur 32.
Anteambulones 116.
Antoninus Caracalla communicat civitatem Romanam 76.
Antonius Lupercus 10.
Apollo 2. 4.
Apollonia, ſedes litterarum 121.
Appius Pulcher, augur, & conſularis 6.
Aquila, ſignum militare 60.
Aquilæ uſus in conſecratione principum 145.
Ara cæſpiticia 27.
Arabia, provincia 83.
Area ſepulcrorum 141.
Arena, medius locus in amphitheatro 130.
Aries, machina bellica 61.
Arma militaria 58. luſoria, & decretoria 130.
Arvales fratres 11.
Arſacidarum hiſtoria ex nummis 153.
Arundeliana marmora 158.
As, radix rei nummariæ 146. diverſi ponderis, libralis, ſemuncialis 159.
Aſia propria 81.
Aſſyria, provincia 83.
Athenæ, ſedes litterarum 121.
Atrienſes 116.
Atropos 3.
Auctoritas ſenatus differt a ſenatus conſulto 101.
Averruncus, deus 3.
Augures 6.
Auguſtinus (Antonius) 155.
Auguſtinus (Leonhardus) 158.
Auguſtodunum, ſedes muſarum 123.
Auguſtus nova officia excogitat 44.
Aureus, nummi genus 148.
Auxilia in exercitu Romano 56.

Digitized by Google

B.

Bacchus, ejuſque ſacra 18.
Bailiſta, machina bellica 61.
Baſilica julia 87.
Begerus (Laurentius) 158.
Bellum ſervile 117. ſociale, ſive marſicum 75.
Beſtiarii 133.
Bibliothecarii 116.
Biragus (Mediobarbus) 113.
Bilbilis, ſedes litterarum 123.
Bithynia, provincia 81.
Bona dea, ejuſque ſacrum 21.
Briſſonius de verborum ſignificatione 148.
Britannia, provincia 82.
Burdegala, ſedes muſarum 123.
Bustage 16.

C.

C, Condemnationis nota 86.
Ceremoniæ ſacræ 26.
Ceritum tabulæ 39.
Ceſar dictator perpetuus 43.
Ceſares diſtincti ab Auguſtis 53.
Ceſaris provinciæ, & legatus 49. procurator 50.
Ceſpiticia ara 27.
Calata comitia 111.
Calendæ unde dictæ 111. Junoni ſacræ 22. martiæ etiam Marti ſacræ 22.
Camœnæ 4.
Campus martius 112.
Cancellarius 51.
Candidatus princip. 47.
Cantus præficarũ 139.
Capi dicebantur veſtales 13.
Capite cenſi 71.
Captivorum cura penes præfectũ prætorii 45.

Capua,

Capua, præfectura 75.
Caracallæ cōſtitutio 76.
Carcer tuſculanus 66.
Cardia, dea 3.
Caſaubonus 148.
Caſſis 59.
Caſtor 2.
Cataphracti 59.
Catapulta 61.
Cavea, medius locus in amphitheatro 130.
Cauſſidici 88.
Cenotaphium L. Cæſaris 29.
Cenſere, verbum ſenatorium 101.
Cenſores 38. legunt ſenatum 98.
Cenſus equeſter 103. ſenatorius 99.
Centumvirale judicium 85.
Centuria, pars legionis ſexageſima 57.
Centuriæ populi R. 108.
Centuriata comitia 108.
Centuriones 55.
Cerealia 20.
Ceres 2.
Charon, portitor 3.
Chirurgi 116.
Cicero augur, & conſularis 6. proconſul Ciliciæ 82.
Cilicia, provincia proconſularis 82.
Cinctus gabinus 135.
Cippi 141.
Circenſes ludi 126.
Circumvallatio 63.
Circus maximus 126.
Civitas romana 68. quomodo potuerit amitti 69. Latinis, & Italis data 75. provincialibus data 77.
Clariſſimi titulus 53.
Claſſes duæ ad tutelam Italiæ 48. populi Romani 108.
Claſſiarii milites 64.
Claſſici, id eſt præcipui 108.
Clavus anguſtus 102. latus 136.
Clepſydra in judiciis 88.
Clibanarii 58.
Cloacina, dea 3.
Clotho 3.
Clypeus 59.

Cogno-

Cognomina legionum 57.
Cohors, pars legionis decima 57. prætoria 55.
Collegia ſacra 5.
Coloniæ 74.
Combuſtio defunctorum 140.
Comites in provinciis, & aula 53.
Comitia 107. calata 111. curiata, tributa, centuriata 108.
Comitium, pars fori Romani 111.
Comœdiæ 128.
Comparare provincias quid ſit 78.
Conclamatio in funere 139. poſtrema 140.
Confiſcare, novum verbum 46.
Connubii jus 69.
Conſecratio principum 143.
Conſentes dii 2.
Conſualia 21.
Conſul, director ſenatus 100.
Conſulares 33.
Conſularia comitia 111.
Conſularis, ideſt, legatus Cæſaris 49.
Conſules ordinarii 32. ſuffecti 32. deſignati 100.
Contubernium militum 57.
Conventus juridici in provinciis 78.
Corona urbē capere 63.
Coronæ militaris genera varia 65.
Coronæ in ſacrificiis 27. in ſepulcris 142.
Corduba, ſedes litterarum 123.
Correctores provinciarum 51.
Cothurni in tragœdiis 129.
Cretata toga 135.
Creutz Thaler 149.
Crinibus fana verrendi ritus 28.
Cubicularii 116.
Curator alvei tiberini 48.
Curatores viarum 48.

Curia

Curia hoſtilia, julia, Pompeii 101.
Curiæ populi Romani 109.
Curiata comitia 110.
Cybele, mater deorum 4.

D.

D*Acia*, provincia 83.
Van Dale (Antonius) 158.
DANTFESTE 16.
Decanus 55.
Decemviri 33.
Decemviri ſacrorum 7.
Dediticii 114.
Denarius 147.
Deportatio in inſulã 69.
Depoſitio lauri in gremio Jovis 67.
Deus fidius 2.
Diana 2.
Dictator 43. cur creatus 43. perpetuus 43.
Dictatura ſemeſtris tantum 33.
Didrachmum 150.
Dies feſti 15.
Dies averrunci 3. domeſtici 3. inferi, cum victimis 3. litterarum 4. majorum gentium 1. minorum gentium 2. marini, & aquatiles 3. peregrini 4. ruſtici, & plebeii 2. ſuperi cum victimis 26.
Dionyſius, ſervus Ciceronis 116.
Diræ 3.
Diſceſſionem facere quid ſit 100.
Diſtributio populi Romani 108.
Dis pater 3.
Divi 143.
Drachma 147.
Dryades 2.
Duces in provinciis 54.
Ductores ordinum 55.
Durocortorum, ſedes muſarum 123.

E.

E*Dictum* prætoris 95. perpetuum 96.

Egeria

Egeria, nympha 3.
Egregii titulus 53.
Eloquentia præcipuum Romanorum ſtudium 120. a Britannis, & Hiſpanis exculta 123.
Epona, dea 2.
Epulæ publicæ poſt triumphum 66. ſepulcrales 142.
Epulones 9.
Equites ducenti, trecenti in legione 56. cōducunt vectigalia 104. ſedent in quatuordecim gradibus 113. urbani, & ruſticani 104.
Equitum ordo medius inter ſenatum, & plebem 102.
Equorum uſus rarior in Italia 102.
Equum adimere 39.
Ergaſtulum 212.
Evander 10.
Eumenides 3.
Exodium 128.
Exſequiæ 139.
Exſilii pœna 69.

F.

F*Abrettus* (Raphael) 157.
Facies ad ſimilitudinem pulcritudinis cœleſtis figurata 118.
Factiones quatuor in ludis circenſibus 127.
Falconerius (Octavius) 156.
Familia ſervorum 116. differt a gente 169.
Faſces conſulares 32.
Faſcinus 3.
Fatua, regina 19.
Fauna, regina 19.
Faunalia 17.
Fauni 2.
Febris, dea 4.
Felix, procurator Cæſaris in Judæa 82.
Fercula prædarum 66.
Feriæ generales 15. ſpeciales 17. latinæ 23. ſcolarum 19.
Feſti dies 15.

Digitized by Google

Feſtus, procurator Cæſaris in Judæa 82.
Fetiales 12.
Fiſcus 46.
Fiſci cura penes procuratores Cæſaris 50.
Flamen carmentalis 9.
Flamines 8. divorum 9.
Flora, dea 2. 20.
Floralia 20.
Forculus, deus 3.
Forum, locus judiciorum 86. in provinciis 78.
Fratres arvales 11.
Freſne(Carolus du) 116.
Funera Romanor. 139.
Furia 3.

G.

GAlea 59.
Galilæa 82.
Gallia ciſalpina in provinciis cenſa 77.
Galliæ diviſio 80.
Gemmæ 158.
Genius 2.
Gens, & *familia* differunt 169.
Germania ciſrhenana duplex, ſuperior, & inferior 80.
Gladiatores 129.
Golzius (Hubertus) 154.
Græcæ linguæ uſus apud Romanos 120.
Gronovius [Jo. Fridericus] de ſeſtertiis 147.
Gruterus [Janus] 157.

H.

HAbet, verbum gladiatorium 132.
Hamadryades 2.
Harduinus [Joannes] 155.
Helepolis 61.
Hercules 2.
Hereditatis jus 69.
Hiſpaniæ diviſio 80.
Hiſtoricorum uſus in eloquentia 121.
Hoc habet, formula gladiatoria 132.

Hoplo-

Hoplomachi 131.
Hortulani 116.
Hymenæus 3.

I.

Janiculum munitum 31.
Janus 2.
Illuſtres quinam dicti 53.
Imagines captarum urbium in triumpho 66. majorum in funere prælatæ 139.
Imperatoris titulus 55.
Imperatores ſunt Pontifices maximi 6.
Indigetes 2.
Inferi dii 3.
Inferiæ 28.
Inferorum judices 3.
Ingenui quinā dicti 113.
In quatuordecim ſedere 103.
Inſcriptiones Romanorum 157.
Inſignia triũphalia 67.
Inſula tiberina, ſeu ſacra 17.
Intercedere erat Tribunorum plebis 40.
Interdictio ignis, & aquæ 69.
Interrex 42.
Inuſtio litterarum in frōte 118.
Jobertus 153.
Jovis ſtatoris templum 102.
Ire in ſententiam alicujus 100.
Iſis 4.
Italia, ſedes litterarum 123.
Judæa, provincia 82.
Judices 84. ex diverſis ordinibus lecti 85.
Judicia 84. in campo martio 112.
Judiciorum locus 86.
Judicium centumvirale 85.
Juno 2. 3.
Junoni ſacræ erant calendæ 22.
Juppiter 2. latialis 23. ſtygius 3.
Juriſprudentiæ ſtudium 120.

Jus civitatis Romanæ 68. Quiritium, Latii 71. municipiorum, coloniarum, præfe-cturarum 75.
Jusjurandum judicũ 85.

K.

K*Irchmannus* (Joannes) 141.

L.

L*Aborum* 60.
Lacerna 137.
Lacheſis 3.
Læna 136.
Landus [Conſtantius] 155.
Laniſtæ 129.
Lapidum pluvia 16.
Laquearii 131.
Lares 3.
Latii jus 74.
Latinæ linguæ uſus 120.
Latus clavus 99. 136.
Lavatio matris deũ 19.
Laudatio funebris 140.
Laudatores in judiciis 88.
Lauri depoſitio in gremio Jovis 67.
Lectiſternium 15.
Legati legionum 49. dicti etiam legati prætorii 49.
Legatus Cæſaris, ſeu Principis 49.
Leges Romanæ 89. agrariæ 95. annales, frumentariæ, ſumtuariæ, tabellariæ, viceſimarum 95. a decemviris conſcriptæ 28. XII. tabularũ 92. præcipuæ apud Ciceronẽ memoratæ 93. legum hiſtoria 89.
Legiones 56. nunc majores, nunc minores 56.
Legionũ cognomina 57.
Lex quid ſit proprie 87. æmilia 38. annaria 33. canuleja 105. hortenſia 91. julia 74. manilia 94. plotia 74. roſcia 94. valeria 94.
Liber, ſive Bacchus 2.

Libe-

Liberalia 18.
Liberi 113.
Libertas major; minor, & infima 113. 114.
Liberti 113.
Libertini 114.
Libra 147.
Librarii 116.
Libri ſibyllini 7.
Lictores conſulum 32.
Linguæ græcæ uſus apud Romanos 120.
Lipſius [Juſtus] 158.
Litatio 26.
Litteræ latinæ cuſtodes doctrinæ melioris 120.
Lorica 58.
Ludi populo Romano grati 125. placandis numinibus facti 17. publici, & privati 125. Romani,ſeu circēſes 126. gladiatorii 129. funebres 142. ſeculares 25. ſcenici 127.
Ludus, ſchola gladiatorum 130.
Lugdunum, ſedes litterarum 123.
Lugentibus non licebat intereſſe cerealibus 20.
Luna 2.
Lupercal 11.
Lupercalia 18.
Luperci 10.

M.

Macedonia provincia Græciæ 81.
Machinæ poliorceticæ 61.
Magiſter equitum 43. morum 39. officiorū 53. ſcriniorum 51.
Magiſtratus antiqui 30. novi 44. ævi poſterioris 51.
Malacia, in mari mediterraneo 64.
Manes, dii 3.
Manipulus, pars triceſima legionis 57.
Manumiſſio 114.
Marius indoctus 120.
Marmora arundeliana, ſive oxonienſia 158.

Mars 2.
Martis ſacerdotes 10.
Maſſilia, ſedes litterarum 121.
Mater deorum 4.
Mauritania, provincia 82.
Megæra furia 3.
Mellis uſus in ſacris 28.
Mercurius 2.
Meta in circo 136.
Milites claſſiarii 64.
prætoriani 55.
Militia Romana 54.
Militiæ legionariæ jus 69.
Millio 147.
Minerva 2. 4. ejus ſacra 19.
Minervalia 19.
Minos, judex inferorum 3.
Mirmillones 131.
Miſſio gladiatorũ 132.
Mithra 4.
Modulus numiſmatum triplex 151.
Mola ſalſa litare 26.
Mons albanus 23. ſacer 40.
Monterchius (Joſephus) 152.
Morellius(Andreas) 155.
Movere ſenatu, tribu 39.
Munera. mittebant viri ſaturnalibus 22., & feminę calendis martiis 23.
Municipia 75.
Muſæ 4.
Muſculus, machina bellica 62.
Mytilene, ſedes litterarum 121.

N.

NAjades 2.
Natalis Romæ 20.
Navalis militia 63.
Navis prætoria; roſtrata, oneraria, liburna 64.
Naumachia 133.
Neniæ 139.
Neptunus 2. 3. ejus ſacra 21.
Nereides, nymphæ 3.
Nereus 3.

Nigra

Nigræ victimæ 26.
N.L., ampliationis nota 86.
Nobiliſſimatus 53.
Nomina Romanorum 166. gentilicia 169.
Non placet, formula ſenatoria 101.
Noricum, provincia 82.
Novemdiale ſacrum 16.
Numa Pompilius 30.
Nummi Romanorum 146. aurei, argentei 151. ænei, conſulares, & Imperatorum 151. græci 153. populorum, & urbium 155. conſtantinopolitani 156. peregrini 155. Syro-Macedonum 156.
Nymphæ variæ 2.

O.

OBRISTEN 55.
Occo (Adolphus) 155.
Orcanus, deus 3.
Officia nova ab Auguſto excogitata 44.
Olei uſus in ſacris 28.
Oratores qui 88.
Orcus 2. 3.
Ordo ſenatorius 97. equeſter 102. plebejus 105.
Originalis patria 70.
Ornamenta conſulum 67. triumphalia 32.
Oſca, ſedes litterarum 123.
Oſiris 4.
Oſtiarii 116.
Ovatio 66.

P.

P*Aenula* 137.
Palatina tribus 108.
Pales, paſtorũ dea 2. 20.
Palilia 30.
Palla 138.
Palladium 14.
Pallas 4.
Pallium 138.
Pallor, deus 4.
Palma gladiatorũ 131.

Palmata toga 136.
Paludamentum 138. differt a trabea 136.
Pan 2.
Panis ſacerdotes 10. ſacra 18.
Pannonia, provincia 82.
Parare provincias quid ſit 78.
Parcæ, noctis filiæ 3.
Parilia 20.
Parma 59.
Patinus (Carolus) 153.
Patres vocati ſenatores 97. minorum gentium 98.
Patria municipium Italiæ duplex 70.
Patroni cauſſarum 88.
Paulus civis Romanus 68.
Pavonis figura in conſecratione feminarum 145.
Pavor, deus 4.
Pecunia a pecude dicitur 150.
Pedarii 101.
Penates 3.
Peræa 82.
Peregrini in urbem recepti 68.
Perfectiſſimi titulus 53.
Petere, verbum gladiatorium 132.
Philoſophiæ ſtudiũ 120.
Picta toga 136.
Pignorius [Laurentius] 116.
Pilatus, procurator Cæſaris in Judæa 82.
Pilum 58.
Placet, verbum ſenatorium 101.
Plebiſcitum 90. æquiparatum legi 105.
Plebs, & populus differunt 92. tertia pars populi Romani 105. ſecedit in montem ſacrum 105. impetrat communionem connubiorum, & jus petendi conſulatum 105.
Plinius augur, & conſularis 6. curator alvei tiberini 48. mitis in ſervos 117. proprætor Bithyniæ 81.

Pluteus, machina bellica 62.
Pluto 3.
Pluvia lapidum 16.
Pœna cenſoria 33. exſilii 69.
Pollicem premere, & convertere quid ſit 130.
Pollux 2.
Pomona, dea 2.
Pompejus eques triumphat 103.
Pondo 147.
Pontifex maximus 5.
Pontificum collegium 5.
Populiſcitum 91.
Populus, & plebs differunt 91. abuſive dicuntur plebeii 105. Romanus in tribus, & curias; porro in claſſes, & centurias diſtribuitur 107.
Prædia Romanorum in Italia, & Sicilia 117.
Præfecturæ 75.
Præfectus ærarii 46. ærarii militaris 47. claſſis utriuſque 48. prætorii 45. ſociorum 55. urbis 44.
Præficæ 139.
Præfiſcine dixerim, unde ortum 3.
Præmia militum 65.
Præmium gladiatorum 131.
Prænomina Romanorum 167.
Præſides provinciarum 52.
Prætexta 136.
Prætextati pueri 131.
Prætor pro duce exercitus 35. peregrinus 34. urbanus 35.
Prætores in urbe, & provinciis 78.
Prætoria cohors 55. comitia 111. navis 55.
Prætoriani milites 55.
Prætorii viri 33.
Prætoris edictum 95.
Prætorium 35.
Priapus, porcorum cuſtos 2.

Digitized by Google

Prideaux (Humphridus 158.
Primipilus 55.
Princeps ſenatus 100.
Privilegium quid ſit 89.
Proconſules in provinciis 78. accuſati a provinciis 87.
Procurator Cæſaris 50. 82.
Proletarii 71.
Propretores in provinciis 78. 35. accuſati a provinciis 87.
Pro roſtris, locus in foro Romano 140.
Proſerpina, Plutonis uxor 3.
Provincia κατ' ἐξοχὴν dicta 80.
Provinciæ Cæſaris 83. diviſæ inter Auguſtum, & populum 46. mutatæ, & multiplicatæ 79.
Provinciarum appellatio 77. adminiſtratio 78. diviſio 79.
Provocatio ad populum 106.
Publicani 104.
Pulvinaria deorum 16.

Q.

QUANTCHEN 149.
Quæſtiones publicæ 35.
Quæſtores 37. populi in provinciis 50. principis, ſeu Cæſaris 47.
Quæſtorii viri 33.
Quæſtura, primus honorum gradus 122.
Quindecimviri ſacror. 7.
Quinquatrus 19.
Quirinus, deus 2.
Quiritium jus 71.

R.

RÆtia, provincia 82.
Rationales 50.
Reges Romani 30. urbe exacti 32.
REICHSTHALER 149.
Reineſius(Thomas) 157.
Religio a Numa inducta 30.
Remorum uſus 64.

Reo-

Reorum habitus ſquali-
dus, 88.
Repetere, verbum gla-
diatorium 132.
Res nummaria Roma-
norum 146.
Rex ſacrificulus 12.
Rhadamanthus, judex
inferorum 3.
Rhodus, ſedes littera-
rum 121.
Riparum curator 48.
Ritus ſacri 26.
Robigus, deus 24.
Rogatio, ideſt, lex 92.
Romæ natalis 20.
Romulus rex 30. legit
ſenatum 97. dividit
populũ in tribus, &
curias 108. deus 2.
Roſtra navium 63.
Rudis, præmium gla-
diatorum 131.

S.

Sacrum Bonæ deæ 21.
novemdiale 16.
Sæculum quot annos ha-
beat 25. aureum 22.
Sæpta 112.
Sagati 137.
Sagum, veſtis militaris
137.
Saliares epulæ 10.
Salii 10.
Salis uſus in ſacris 26.
Salvius Julianus, auctor
edicti perpetui 96.
Saturnalia 22.
Saturnus 2.
Saturni ærarium 46. ſa-
cra 22. templum 46.
Scholæ in provinciis 123.
Scholarum feriæ 22.
Scitum, quid 90.
Scrinia, ideſt, cancel-
lariæ 51. 153.
Scriptores rei nummariæ
Scutum 59.
Seceſſio plebis ad mon-
tem ſacrum 40.
Secures conſulum 32.
Secutores 131.
Sedere in quatuordecim
103.
Seguinus (Petrus) 155.
Selecti dii 2.
Sella curulis conſulũ 32.
Senatores Romani a Ro-
mulo adlecti 31.
Senatorum cenſus 99. nu-
merus

merus 98. veſtitus 99.
Senatus unde dictus 97.
Senatu movere 39.
Senatus auctoritas 101. conſultum 90. conſultum per diſceſſionem 101.
Sententias dicebant ſenatores 100.
Septemviri epulonũ 9.
Sepulcra ad vias 141.
Sepultura Roman. 141.
Serapis 4.
Sertorius ſcholam inſtituit 123.
Servi unde dicti 115. urbani, & ruſtici 116. litterati 118. civitate Romana donati 69. epulum accipiũt ſaturnalibus, & calendis martiis 23.
Servilia bella 117.
Servius Tullius rex 31. dividit populum in claſſes, & centurias 108.
Seſtertium, & ſeſtertius 146.
Sibyllini libri 7.
Signa militaria 60.
Sileni 2.
Silvanus, deus 2.
Sinus ex toga factus 135.
Socci in comœdiis 129.
Socii Romanorum 75.
Sol, deus 2.
Solidus, moneta aurea 147.
Solonis leges 92.
Sors quæſtoris 37.
Sorte diſtribuuntur provinciæ 78. leguntur judices 85.
Spanhemius [Ezechiel] 153.
Spectabiles quinam dicti 53.
Spectacula Roman. 125.
Sponius [Jacobus] 157.
Status hominum, liberorũ 113. ſervorũ 115.
Stola 138.
Studia Romanorũ 119. provinciarum 123. ordinis equeſtr. 104.
Subſortitio judicum 85.
Suburana tribus 108.
Suffragia ferebat populus 100.

Sulla.

Sulla auget dignitates 5. cremari ſe jubet 140. dictator perpetuus 43.
Supellecticarii 116.
Supplicationes 67.
Symphoniaci 116.
Syntheſis, veſtimenti genus 137.
Syria, provincia 82.
Syro-macedonum hiſtoria ex nummis 156.

T

Tabulæ legum XII. 33. Cæritum 39.
Talentum 150.
Tarquinius Priſcus, rex 31. auctor militiæ Romanæ 54. (31.
Tarquinius Superbus, rex
Tellus, dea 2.
Templum Jovis ſtatoris 102. in conſecratione principum 144.
Terminalia 18.
Terminus deus 3.
Teſtamenti jus 69.
Teſtudo, machina bellica 62.
Tethys 3.
Tetricus, corrector Lucaniæ 52.
Theatra plura erant Romæ 128.
Theodoſius cultum Veſtæ abrogat 14.
Thorax 58.
Thraces, gladiatorum genus 131.
Tibicines 116. (48.
Tiberini alvei curator
Tiberinus pater 3.
Tiro, ſervus, & libertus Ciceronis 116.
Tiſiphone, furia 3.
Tituli honorum ſub imperatoribus 53.
Toga 134. candida 135. palmata, picta 136. prætexta 136. virilis
Tonna auri 147. [120.
Trabea 136.
Tragœdia 127.
Trebatius cauſſidicus 79.
Tribu movere 39.
Tribuni ærarii 41. ſunt judices 41.
Tribuni militum, OBRISTEN 55. militũ conſulari poteſtate 34.

Tribuni

Tribuni plebis 40. creantur comitiis tributis 106.
Tribunicia poteſtas Cæſarum 40.
Tribus populi Romani urbanæ, ruſticæ 109.
Tributa comitia 110.
Triſtanus [Joannes] 154.
Triton 3.
Triumphus 66. in monte albano 67.
Triumviri capitales, & monetales 41.
Tullus Hoſtilius, rex 30. auctor militiæ Romanæ 54.
Tunica 137. laticlavia 99.
Turmæ equeſtres 57.
a *Turre* [Philippus] 158.
Turris rotata 62.
Tus adhibitum in ſacris 26.

V.

V*Aillantius* [Joannes] 154.
Valerius Publicola pauper 99.
Vectigalium conductio 104.
Venationes 132.
Venus 2. 3.
Ver ſacrum 24.
Verrere fana crinibus 28.
Vertumnus 2.
Veſta 2.
Veſtales virgines 13.
Veſtales colebant Bonam deam 21.
Veſtalis maxima 13.
Veſtes virorum 134. mulierum 136. triumphales 138.
Veſtitus ſenatorum 99.
Vexillum 60.
Viarum cognomina quędam 141. curatores 48.
Vicarii præfectorum prætorio 52.
Victima fugiens 28.
Victimæ albæ, & nigræ 26.
Vindelicia, provincia 82.
Vindicta, ideſt, virga 114.

Vinea

Vinea, machina bellica 62.
Vini uſus in ſacris 26.
Virgines veſtales 13.
Virgula, præmium gladiatorum 131.
Virtutes, deæ 2.
Viſceratio 142.
Viſontio ſedes muſarum 123
Vittarum uſus in ſacris 27.
Ulpianus, magiſter ſcriniorum 51.
Unctores 116.
Vota, ſive ſententiæ 100.
Urna judicum 86. ſepulcralis 141.
Urſinus [Fulvius] 155.
Vulcanalia 21.
Vulcanus 2.
Wildius (Jacobus) 155.

Digitized by Google

Reimprimatur. Vic. Gen. S. Officii.

V. Ab. Coſta S. F. P., & R.

Se ne permette la Riſtampa. Morozzo per S. E. il Sig. Marcheſe D'Ormea Gran Cancelliere.

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE ROMA

MAG 2010326

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google